



**D. Ioannes Evangelista. Rodolphi Gwaltheri Tigurini in
Euangelium Iesu Christi secundum Ioannem Homiliae
CLXXX.**

Gwalther, Rudolf

[S.l.], 1568

VD16 W 1038

2. Mutat aquas gelidas in dulcis pocula vini. Eijcit èq[ue] sacra lucra nefanda domo. Destruite hoc templum, lux istud tertia reddet. Hinc multos ad se per sua signa trahit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71827)

huius fide confirmetur, ex ipso enasciturum docet Mediatorem, qui Deum patrem terris reconciliet. Hunc enim scala ista denotabat, qua per certos posteritatis ex Iacobo descendenti gradus ad Christum usque deducta est, & celum terrae coniunxit, dum in illo reconciliauit sibi Deus quaecumque vel in terra vel in caelis sunt. Ad hanc itaque historiam alludens Christus, iam adesse dicit tempus illud praefinitum, quo ista impleri oporteat, & ipsos fidei oculis haec visuros impleta esse, quae patres olim implenda sperauerunt. Itaque quaestionem, de qua inter Philippum & Nathanaelem disceptatum fuisse initio diximus, Christus egregie dissoluit. Nam & verum Dei filium se esse demonstrauit, & sua in carnationis hunc finem esse docuit, ut Mediator inter Deum & homines constitutus nos illi reconciliet. Reconciliationis vero huius fructus est, quod fauore suo nos Deus prosequitur, angelos ministro nostro destinat, & in hoc mundo peregrinantes tuetur, ut ad celestem patriae possessionem perueniamus. Haec tam dulcia nostrae salutis mysteria cum Visio ista contineat, diabolus illam multis mendacijs obscurare conatus est. Et olim quidem hereticos excitauit Valentianos et Gnosticos, qui nos gradus sinxerunt, quibus in caelum ascendatur. Deinde eodem instigante exortus est Mahomet, qui & ipse per scalam nescio quam se in caelos ascendisse gloriatus est. In Papatu autem infinitas scelas caeli fabricauit, dum per operum merita & frigidissimas ceremonias homines seruari docuit. Et reperta sunt altaria cum inscriptione haec: S CALA COELI. Sunt haec impia, & suum Christo honorem derogant. Nos igitur omnes superstitionibus, illum agnoscamus Mediatorem nostrum unicum, qui viam ad patrem nobis aperuit, & in se credentes fidelissimè tuetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in eternum, Amen.

CAPVT II.

HOMILIA XII.

ET die tertio nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, eratque mater Iesu ibi. Vocatus est autem etiam Iesus ac discipuli eius ad nuptias. Et cum defecisset uinum, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Dicit ei Iesus: Quid mihi tecum mulier? nondum uenit hora mea. Dicit eius mater ministris: Quodcumque dixerit uobis, facite.

POST exposita Ioannis Baptista de Christo Iesu testimonia, discipulorum aliquot uocationes euangelista descripsit, quibus ille diuinam suam uirtutem non omnino obscuris indicijs manifestauit. At quia haec priuatim inter paucos gesta fuerunt, sequitur deinceps, ut publice ea ceperit obire, quae ad ipsius cognitionem homines adducere poterant. Et hoc quidem Cap. duo eius facta commemorantur: Miraculum scilicet in Cana Galilaeae editum, & templi Ierosolymitani reformatio, ex quo prophanos nundinatores eiecit. illo quidem docens, se totius creaturae opificem & dominum esse: hoc autem Messia honorem sibi uindicans, qui ecclesiam suam ab omni prophanatione repurgaturus sit, ut Deum patrem in spiritu & ueritate omnes colant. Et illud quidem etsi prima fronte non usque adeo magni momenti esse uideatur, quia tamen inter eius miracula ordine primum fuit, & sub hac uili specie multa comprehendit, quae ad fidei nostrae institutionem & confirmationem faciunt. Ioannes illud tanta diligentia describendum putauit, ut ne minutissima quaedam omiserit, quae in eo acciderunt. Primo enim quo tempore hoc factum sit, docet. Deinde locum quoque, & inter quos hoc signo innotescere uoluerit. Tertio illius occasione describit. Postremo omnem rei gestae modum & ordinem commemorat: quibus postremo fructum subiicit, qui inde ad alios manant. Nos in praesenti de tribus primis capitibus quod Dominus dederit, breuiter dicemus.

Tempus miraculi.

Quoad tempus, tertium diem annotat Ioannes: ab eo nimirum, quo Iesus in Galileam ueniens Nathanaelem uocarat, cum paulo ante Philippum quoque, & Andream cum eius socio & Petro in discipulorum numerum ascripisset. Facit haec temporis circumstantia ad declarandam eius bonitatem, qui

qui discipulos recens vocatos noluit dicitur suspensos tenere, sed ipsorum fidem mox aliquo signo illustriori confirmavit. Est hic ferè Dei mos, ut quos rebus magnis & arduis destinavit, mox mirid ad certamina, quæ ipsis subeunda sunt, armis & viribus instruat. Ita olim cum Mose & prophetis egit, quos non obscuris argumentis circa vocationis ipsorum initia de suo auxilio certiores fecit. Et postea Apostolos non modo miraculorū virtute donavit, cum illos ad docendum emitteret, verum etiam cum Hierosolymæ primum in carcerem coniecti essent, per angelum eos miraculose liberavit, quod minus in posterum carceres & vincula timerent. Quod si hodie non semper miracula fiunt, cogitemus illis non semper opus esse, & vetera illa in mentem reuocemus, quibus promissiones suas iam olim abundè confirmavit. Coniungamus his beneficia quotidiana, quibus suam nobis benevolentiam declarat, & ista consideratione nos non parum confirmari sentiemus.

Secundo locus miraculi indicatur. Cana nimirū Galilæe, sic dicta ad differentiam Canæ maioris, quæ non procul à Sidone & Sarepta sita est, & olim Syrophanicie attribuebatur, ex qua Syrophanis illa videtur fuisse, cuius fidem Christus tantopere predicat, & quam Mattheus Cananæam vocat. Nostra enim hoc Galilæe oppidum fuit, in confinijs Aser atque Zabulon, patria Nathanaelis, ut infra Cap. 21. annotavit Ioannes. Et credibile est, Christum cum Nathanaele eò profectum fuisse. At quærat aliquis, cur in oppido obscuro & ignobili primum signum facere voluerit Christus, & non potius Hierosolyam aut aliquam celebriorem Iudææ civitatem delegerit, ubi maior fuisset se & gloriā suam multis simul manifestandi occasio? Sed iam alibi monuimus, Deum humilibus delectari, ut mundi huius fastum confundat: simulq; cauendum erat, ne quis Christi regnum humana auctoritate euectum & propagatum esse putaret. Et requirit hoc ipsum nostra infirmitas, quæ undique conquiret diffidentie occasiones, si quando res nobis minus pro vero succedunt. Quapropter si illustrioribus locis atque personis primum innotuisset Christus, mox dubium videri poterat, an eque ad obscuros & ignobiles ille pertineret. Deinde Galilæa gentium iam inde ab antiquo dicebatur regio illa, eò quod gentibus vicinior esset, & in ea multi ex gentibus, Iudæis permixti habitarent, ab eo tempore nimirum, quo tractus iste ab Assyrijs primum occupatus & miserè vastatus fuit, sicuti Regum historia & Isaias testantur. Dum ergo eam terrā sibi deligit Christus, ut eam doctrina simul & miraculis primum illustret, fuit hoc non obscurum præludium vocationis gentium, quæ euangelium maiori cum fructu, quàm Iudæi, recepturæ erant. Quo loco admonemur, in salutis negotio nihil tribuendum esse prærogatiuis, quibus aliquando maiores nostri claruerunt: sed illius cardinem in hoc versari, ut Christum totis animis complexi, eidem nos per fidei obedientiam consecremus. Nisi enim hoc fiat, transfert ab ingratis regnū suum Deus ad eos, qui dignos sua vocatione fructus ferunt.

At hic imprimis videndum est, inter quos signum hoc Christus ediderit. Indicatur hoc, quando nuptias factas fuisse dicit Euangelista, quas ille non modo sua presentia, verum etiam hoc quasi honorario munere ornauit. Erat enim iam ante in illis nuptijs eius mater, fortassis vocata propter affinitatem aut cognationem, quæ ipsi cum nouis coniugibus intercederet: nec difficile illi fuit eò venire, cum non procul à Cana esset Nazareth, ubi domicilium habebat. Cum ergo illic sub idem tempus veniret Christus, hunc quoque vnā cum discipulis illi inuitarunt. Vbi non temerè factum putabimus, quod Dei filius & nuptijs interesse, & in illis sese suamque diuinam virtutem miraculo iam insigni manifestare voluit. Hodie certè istud multis absurdissimum videretur, & scimus Monachos atque Moniales ex hoc non postremam castitatis laudem venari, quod non ipsi modo celibes viuunt, sed nec aliorum quidem nuptijs intersint. Sed non idem cum illis Christus sensit, qui suo exemplo nos de ijs admonere voluit, quæ ad nostræ salutis rationem simul & vitæ coniugalis institutionem pertinent. Primum enim ostendebat iam adesse tempus illud nuptiarum celestium in quibus nos sibi desponsare, & bonorum omnium consortes facere velit. Frequenter enim scripturæ coniunctionem, quæ nobis cum Deo intercedit, nuptiarum & coniugij parabolis describunt. Idèd Diuus Augustinus in hunc locum scribit: Quid mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit? Id est, qui idèd homo factus est, ut nos sibi desponsaret. Et paulo post, Habet hic sponsam, quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit spiritum sanctum, eruit eam de mancipatu diaboli, &c. Commodissime ergo in nu-

Vbi miraculū
hoc editum

In nuptijs mira-
culum facit
Christus.

prijs primum sese manifestavit, ut quoties illas videmus celebrari, toties huius mysterij recordatio animum nostrum subeat. Deinde dum nuptijs adest Dominus, ex quibus legitima humani generis propagatio dependet, non obscure innuit, se in mundum venisse, ut hereditariae corruptioni medeatur, quae fiebat prius, ut omnes homines in filij nascerentur. Annotavit hoc ipsum Cyrillus, quando illum ad nuptias accessisse scribit, ut nostrae natiuitatis principium sanctificaret. Et ut hoc fieret, partus dolores exigebant, qui manentis adhuc maledictionis argumentum censeretur, nisi Christus ipse nuptias sua praesentia sanctificauisset. Praeterea coniugij dignitatem commendare voluit, & illud a prophanis turbatoribus asserere: quod factum cum primis necessarium erat. Quia enim, ut modo diximus, genus humanum per coniuges legitime propagatur atque seruetur, & coniugium ad vitam sancte & honeste transigendam administrandum est longe commodissimum (quo nomine mulier viri adiutorium dicitur) omnibus seculis in hoc fuit publicus hostis noster Iatan, ut huius religionem aut omnino eximeret hominum animis, aut saltem maxima ex parte labefactaret. Hinc ante diluuium imparibus coniugij filios Dei cum Caini posteritate commisit, & ea ratione vniuersalem corruptionem & toti mundo exitialem inuexit. Idem inter Caini posteros polygamiam instituit, quam etsi in sanctis patribus Deus aliquandiu tolerauit, eadem tamen maximorum malorum causa fuit, sicuti Iacobi exemplo docemur. Eodem auctore inter gentes scortandi licentia ita inualuit, ut eadem omnium esset sententia, quam Comicus in indulgentissimo patri & nequitiae peritrono tribuit: Non est flagitium (mibi crede) adolescentulum scortari, &c. Neque mirum hoc videri potest, quando Solonem, sapientissimum illum (si Dijs placet) legislatores, primum iuuentuti meretriculas comparasse, & Veneris Pandemi templum, seu publicanum potius lupanar, extruxisse ferunt. Nec multo sanctiores fuisse Iudeos, qui Dei peculium videri volebant, ex prophetarum sermonibus apparet. In eis Christianos vero iam inde ab initio multiplex semper fuit coniugalis status prophanatio. Nam ut de scortatione & adulterij vultu-garibus nihil dicamus, reperti sunt olim Nicolaitae & Gnostici, qui sub religionis praetextu uxores publicabant, aut inter se communes habebant. Secuti sunt hos Taitiani & Encratitae, qui ut his sanctiores haberentur, nuptias omnino damnabant, coniugium a scortatione nihil differre docebat. Quos hodie Monachi & sacerdotes imitantur, qui etsi coniugium non simpliciter damnant, illud tamen carnis immunditiam vocant, & calibatam suam ita excolunt, ut Christianam perfectionem magna ex parte in illo collocent, & a sacrorum administratione omnes coniugatos arceant. Et de his quidem olim Paulus locutus est, quando venturos dixit impostores, qui demoniorum doctrinas tradant, dum coniugio & cibis quibusdam interdicitur. Atqui egregium hoc fuit mali demonis stragemata, quod ecclesiae & sacrorum ministris coniugij usum prohibuit. Ita enim factum est, ut non ipsi modo vagis libidinis sese polluerent, verum etiam religionem omnem bonis & cordatis omnibus sua illa impudentia suspectam & exosam facerent. Omnes ergo hocce exemplo suo confutat Dei filius, qui ut ex desponsata virgine nasci voluit, ita nuptias sua praesentia & liberalitate ornat, & ipsam matrem Virginem adhibet una cum discipulis, qui totius orbis doctores futuri erant, & quos suas uxores secum circumduxisse Paulus testatur, cum euangelium inter gentes hinc inde praedicarent. Et Ambrosius in posterioris ad Corinth. cap. undecimum, non dubitavit affirmare, omnes Apostolos, excepto Ioanne & Paulo, uxores habuisse. Et ibidem de erroribus & superstitionibus exponendum esse dicit, quod in Apocal. cap. 14. de ijs dicitur, qui non inquinati sunt in mulieribus. Transferamus ergo hoc Iesu Christi exemplum ad nostram institutionem, & primo quidem discamus, coniugium honorabile esse inter quosuis, & impollutum esse thorum coniugalem, sicuti idem Apostolus pronuntiat. Quomodo enim prophanum aut pollutum censeretur, quod ipse Deus in ipsa statim rerum origine, priusquam peccatum diaboli fraude esset inuectum, instituit, & cuius usus in scripturis passim ab vtili, a necessario, ab honesto item & sancto commendatur? Vtile enim sit oportet, cum Deus bonum esse neget, ut homo solus viuat, & eius adiutorium vocet feminam. Necessarium quoque procul dubio fuerit, sine quo genus humanum propagari & conseruari non potest, Dei autem mandatum sit: Crescite, multiplicamini, & implete terram. Quis vero honestum esse neget, quod ad vitandam scortationem & carnis immunditiam nobis commendatur? Apostoli enim praecceptum est: Propter fornicationes suam quisq; uxorem, & proprium quemq; maritum habeat. Rursus,

quis

1. Timoth. 4.

1. Corinth. 9.

Hebr. 13.

1. Corinth. 6.

quis sanctum & diuinum esse dubitet illud viuendi genus, quo sanctissime illius coniunctionis typus continetur, qua nos sibi Deus in filio suo desponsauit, & ex qua tota nostra salutis ratio dependet? Publici ergo generis humani & religionis, adeoque salutis humane hostes sunt, quicumque coniugium, ceu noxium, aut inhonestum, aut religioni & pietati inimicum damnare audent.

Cum vero tanta sit matrimonij dignitas, secundo obseruandū erit, ut eius principia ritē & pietate instituantur: quod ipsum communi consensu omnes populi semper censuerunt. Vt enim in coniugio diuinam institutionem agnouerunt, ita in nuptijs religione & sacris usi sunt, ut nouis coniugibus Dei fauorē conciliarent. Et quid pios in hac re deceat, Abrahami et Thobie exempla docent, quos religionis præcipuam curam habuisse, & precibus vacauisse legitimus, cum hic quidem uxorem ipse duceret, ille vero filio suo uxorem desponsare instituisse. Inter Christianos verus iam mos est, ut noui coniuges cum cognatis & amicis ad templum conueniant, & illic à ministro benedictionē accipiant, & publicis ecclesie precibus Deo cōmendentur. Facit mos iste ad matrimonij dignitatem, & nouos coniuges omni praua suspitione liberat, ne fornicatorum instar cohabitare putentur: & Deo non potest non probari, qui & inuocari vult, & nomē suū inuocantibus præstō adesse solet. Idē hunc quoque morem satan, cum omnino abolere nō posset, partim superstitione, partim lasciuia, luxu, fastu, intemperantia & impuris ludis (quæ omnia ferē in nuptijs conspiciuntur) contaminauit. Quæ mihi non postrema causa videtur malorum, quæ coniugium multis infestum & acerbum reddunt. Quid enim faciat Deus, quando ipse quidem à nuptijs excluditur, in eius verò locum inuitatur satan, qui istius lasciuie & petulantia author est? Qui ergo sibi cōsultum voluit, exemplum hoc præsens imitentur, & ad nuptias suas Christum inuitent, qui non has modo, sed coniugij tempus omne ipsis faustum felix efficiet, & qua huic cōcurrunt molestias dulcissimo sui fauoris & benedictionis vino discutiet. Inuitatur autē Christus, quando ad verbum audiendum conuenitur, in nomine eius preces sunt, honestati studetur, & in pauperes eius liberaliter erogantur, quæ prophani homines nuptiarū tempore in Nimos, scurras, ludiones, zibicines, in vestes item plus æquo sumptuosas & immodicum conuiuiorum apparatus profundunt. Exempli laude immortalē dignū, quod omnes imitentur, Heimirichus imperator, eius nominis tertius præbuit. Is enim cum ad nuptias eius, quas cum Agnete Pionum & Aquitania principis filia, Ingelheimi celebraturus erat, ingens histrionum & Mimorum multitudo confususisset, omnes aula & oppido excedere iussit, & pauperes accersit, quorum inopiā ipsi pecunijs leuauit, quibus inutilis illa scurrarū turba alenda fuisset. Porro nuptijs sancte & religiose peractis, conjugalis fidei cura diligens habeatur, & sancte seruetur promissum, quo in Dei conspectu, intercedentibus totius ecclesie precibus, coniuges se mutuo obstrinxerunt. Nec enim falli se patitur Deus, et quia hic primus coniugij author est, horrendis pœnis illius violatores persequi cōsuevit. Exempla huius generis multa in priuatis hominibus habentur, neque desunt publica, quæ docēt, potentissima regna & florentissimas respub. propter vagas libidines, aut euerfas, aut perniciosas mutationibus concussas vel conuulsas fuisse: quæ cum historias legentibus passim occurrant, et alibi à nobis non pauca sint adducta, nunc illis recensendis nolimus immorari, ne longius extendatur oratio. Tempus enim est, ut ad loci recitari tractationem reuertamur.

Sequitur autem occasio, quæ Christum ad faciendum miraculum excitauit. Fuit hæc ex vini defectu enata, quo conuiuium nonnihil turbatum fuisse videtur. Et verisimile est, non usque adeo laute fortuna fuisse nouos istos coniuges, eoquod citius defecisse vinum, quod præter expectationem noui hospites aduenerant, Christus & discipuli. Sed quicquid istud sit, certū est, diuina providentia hoc factum fuisse, ut se manifestandi & gloriam suam illustrandi occasionem haberet Dei filius, qui huc usque paucis notus fuerat. Eandem ob causam nobis quoque interdum vel inopiam, vel morbos, vel aduersa alia, vel subita pericula immitte putemus: quod nimirum nobis immorescere cupiat Deus, qui à nobis non agnoscitur neque obseruatur, dum omnia pro voto succedunt. Imprimis verò hinc consolationē petant, quibus ipse Christus inopiæ author esse videtur, dum vel propter eius nomen fortunis omnibus exuuntur, vel in eius membra opes suas insumpserunt. Nec enim is aliquid deesse patietur in sua vocatione ambulantes, etsi suum fauorem aliquando dissimulet. Ceterum hic inter Christum & Mariam matrem eius actio incidit perquam memorabilis, cuius singula partes diligenter considerationem merentur.

Nuptie cum religione celebrantur.

Genes. 24. Thob. 6. 7. 8.

Occasio miraculi.

Maria Christo
uini inopiam
indicat.

Et primum quidem Virgo mater producitur, quae cum vinum iam defecisse videret, de eo filium admonet, nimirum ut vel inopia ipsi succurrat, vel ex hac enatiu cadit aliqua ratione mitiget. Nec enim dubium est, illam in Christo plus quiddam & excellentius, quam vulgus hominum, agnouisse, cum ex spiritu sancto conceptum esse sciret, & ab ipsa natiuitatis eius hora multa in illo obseruasset, quae Dei filium esse testabantur. Et haec illam mouerunt, ut nunc illi de subleuanda huius familie inopia verba faciat, cum illos aut pecunijs destitui sciret, aut eam videret esse loci incommoditatem ut vinum aliunde tam cito afferri non posset. Humanitatis ergo & charitatis officio fungitur, quae nos alienis malis affici, & proximis dolentibus condolere iubet. Neque illi eam cura fuit vinum, quam quod huius inopiam nouis hisce coniugibus hoc tempore ignominiosam fore videret. Et sane hominum nomine indigni sunt, qui egentibus subuenire nolunt, & interim illorum incommodis gaudent, quales hodie sunt multi, quos ita exagitat inuidiae malum, ut ex aliena infamia summam voluptatem venentur. Paucis autem verbis filio rem exponit, quem ad opem ferendam propensum esse sciebat. Et vitandam esse in precibus nimiam verborum aetatem ipse Christus docet, cum animu potius quam verba precantis respiciat Deus, & idem priusquam oremus satis intelligat, quibus nam opus habeamus.

Christus Maria-
riam reijcit.

Quid autem Christus? Duriter admodum matrem pro istis intercedente reijcit. Quid mihi tecum mulier? inquit. Vel ut Græca sonant. Quid mihi & tibi, scilicet commune est? Est autem haec loquendi formula Hebraeis usitata, si quem cum indignatione auersantur. Adhuc mulierem vocat, quasi illam matris nomine dedignetur, quod cum contumelia coniunctum poterat videri. Causam addit. Nondum venit hora mea. Id est, hucusque, nondum fuit tempus illud mihi a patre praefinitum, quo gloriam meam miraculis manifestare debeo. Num verò (inquit) ideo tam inhumaniter debuit repelli mater, cuius humanitas & pius affectus laudem merebatur? Quid ergo ad haec dicemus fratres? Num matrem non agnouit Christus? sicuti olim heretici docuerunt, qui hoc loco et similibus abusi sunt, ut illum carnem non ex Maria assumpsisse, sed caelo aruisse euincerent: quos D. Augustinus ex hoc ipso loco grauissimè confutat. Vel nunc in matrem adeo inhumanus fuit, aut impius? Minime gentium. Nam & matrem postea in cruce pendens agnouit, & eidem fidelissimè prospexit, dum Ioanni illa commendat: & Lucas illum parentibus subditum fuisse testatur. Aliquid ergo magne cause fuerit oportet, quae illum mouit, ut matrem nunc durius alloqueretur. Fuit haec, quod cum miracula ad diuinam eius naturam referri debeant, & ad illustrandam Messiae gloriam faciant, nemo hominum in illorum confortium admitti debuit. Quia quantum in hac re hominibus tribuitur, tantum Christo ex gloria sua decedit, quam se nemini communicaturum esse, olim per Isaiam protestatus est. Prauidit enim excoriatas nouissimis temporibus superstitiones, quibus multi decepti in Mariam translaturi essent officia, & illam inuocaturi, quasi apud Deum Mediatoris partes agere & ex aduersis eripere possit. Nostra ergo saluti consultum volens, matrem nunquam agnouit, quoties Messiae officio functus est, ne quis inde illam colendi & inuocandi occasionem arriperet. Sic cum puer in templo cum Scribis disputaret & à matre corripere, grauiter respondit. An nesciebatis, quod in ijs quae patris mei sunt, oporteat me esse? Et apud Mattheum, cum quidam ipsi docenti diceret: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, querentes tibi loqui, simili grauitate respondit. Quae est mater mea? & qui sunt fratres mei? Et extensa manu sua in discipulos dicit: Ecce mater mea & fratres mei. Quisquis enim fecerit voluntatem patris mei, qui est in caelis, ipse meus frater, & soror, & mater est. Seruimus haec ijs confutandis, qui Diuam virginem & reliquos Diuos pro nobis intercedere, & proinde à nobis inuocari debere contendunt. Qui cum non habeant scripturae locos, quibus suum illud dogma tueantur, ad carnis iudicium recurrunt, & fieri non posse putant, quin matris sibi supplicantis preces Christus exaudiat. Et ne quid ineptiarum omittant, illam ad filij pedes prosterni, & ostensis uerbis illum per materna viscera obtestari fingunt. Atqui in ijs quae saluti nostrae inferuunt, nihil ualet carnis prerogatiua, & (ut Augustinus ait) non agnoscit Christus viscera humana, operaturus facta diuina. Vehementer ergo falluntur, qui ex ijs quae inter homines fiunt, de diuinis mysterijs iudicant. Nec enim temere Deus olim dixit: Cogitationes meae non sunt cogitationes uestrae, neque via uestra via mea. Sed ut caeli terra sublimiores sunt, ita excelsa via mea uias uestras, & cogitationes meae cogitationes uestras. Et si Euangelij histo-

Isa. 42.

Isa. 55.

riam euoluas, nunquam Christum aliquid vel matris Virginis vel discipulorū precibus dedisse reperies, quoties pro alijs intercessores facti sunt. Qui ergo hoc obseruauit eo tempore, quando illis licebat pro alijs preces fundere, num hac uita defunctos aliorum aduocatos et intercessores fecisse credendus erit? Quapropter scripturas secuti unum Deum inuocemus per Mediatorem Iesum Christum, cuius uox est: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Vnde Apostolus quoque dicebat: Unus Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. 1. Timoth. 2. Apud hunc uerò non alijs uis mediatoribus opus esse ipse docet, quando laborantes & oneratos, non ad Mariam sicut Apostolos ablegat, sed ad se venire iubet, & ad se uenientibus animorum refocillationem pollicetur.

Seruit præterea communi institutioni exemplum hoc Christi, ne carnis affectum admittamus in ijs, quæ nobis ex nostræ uocationis officio peragenda sunt. Vt enim ille neq; matrem neque fratres agnouit, ne in illos transferretur Messia gloria, quam ipsi uni transcribere iubet nostræ salutis ratio: Ita à nobis quoque exiguit, ut propter ipsum parentes, liberos, fratres, sorores, coniuges relinquamus, adeoq; nos ipsos abnegemus, ne quid fiat nostræ uocatione indignū. Laudatur in historijs Romanus ille, qui Consul factus patri ad se uenienti non cessit de uia, neq; propter illum ex equo descendit, sed illū potius descendere iussit, ne patrem reipub. præferre uideretur. At quando magis nos cauere oportet, ne homines Deo præferamus, & in illorum gratiam faciamus quæ huic displicent? Horum memores qui reipub. administrant, leges et iura publica sanctè tueantur: ecclesiarum uerò ministri absq; personarū respectu ex Dei uerbo synceriter doceant, moneant, hortentur, increpent. Priuatim uerò hoc ipsum obseruent coniuges, parentes, liberi, serui, omnium deniq; loci & ordinis homines, ut dum Deo potius quam hominibus placere student, ab illo suæ fidei præmia accipiant.

Sed ad Mariam redeamus, quæ repulsam patientissimè fert, neq; tamen affectum pium exciuit, quo indigentibus subuenit unum cupiebat. Ideoq; ministris dicit: Quodcuq; dixerit uobis, facite. Est hoc præclarum obedientiæ fidei exemplum, quam ita præstat, ut suo iuri, quod in filiū habebat, quasi renuntiet, & eandem alijs quoque cōmendat, cum sciret non aliam esse cōmodiorem rationē bona quæ uis impetrandi, quam si Dei uoluntati sese homines subijciant. Est ergo hoc generale consiliū, & ad omnes pertinet, quod ministris istis Maria dixit. Neq; melius aut rectius illa coli poterit, quam si eius uocem secuti faciamus quæ filius eius, Iesus Christus, iubet, nō quæ nobis bona uidentur. Sufficit regula hæc ad omnia, quæ nobis dum hic uiuimus factū & obseruatu necessaria sunt, & multas quæstiones diluit, quibus hodie infelix mūdus turbatur. Disputatur ab auarīs de Oeconomia & rei domesticæ administratione. Sed omnem disputationem abrumperet potest uicū Christi dictum: Querite ante omnia regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia uobis adijcientur. Idem de republica dici potest, cuius salus ex Christo dependet. In religione item hoc Mariæ consiliū solum sufficit, si illud audiamus. Disputant multi, quis in aduersis inuocari debeat. At Christum dicentem audiant: Vos ita orate, Pater noster qui es in cælis, &c. Alij de salutis ratione contendunt. Sed ipsam Christus respondet: Qui credit in me, habet uitam eternā. Item: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sunt qui de Dei cultu interrogant. At hunc Christus in spiritu et ueritate perfici oportere docet. Deniq; quicquid hodie in quæstionē uenit de humanis traditionibus, summa diuinæ legis, de cōiugio, de liberorū educatione, de magistratu, de bonis operibus, de nouissimo seculo, et si quid aliud est huius generis, hoc omne Christus Iesus breuiter & dilucidè exponit. Soporitis ergo contentionibus illū audiamus, & eundē in aduersis inuocemus, qui etsi aliquando opem suā negare uidetur, nosq; durius abs se reijcit, suo tamen tempore benignus exaudit, & quæ nostræ salutis seruiunt liberaliter impertit, sicuti in sequenti Sermone fusius dicitur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XIII.

Erant autem ibi lapideæ hydræ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ amphoras binas aut ternas. Dicit eis Iesus: Implete has hydras aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Tunc dicit illis: Haurite nunc & offerite architriclino: & tulerūt. Ut autem gustauit architriclinus aquā illam, quæ facta fuerat uinum

In Dei uocatione nihil tribuendum hominibus.

Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Mariæ exemplum obedientiæ fidei.

(nesciebat autē unde esset, sed ministri sciebant qui hauserant aquam) uocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primo loco bonum uinum apponit, & cū inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu seruastī bonum uinum usque adhuc. Hoc principium signorum fecit Iesus in Cana Galilææ, ut manifestaret gloriā suam, & crederent in eum discipuli eius.

Cū Dominus & redemptor noster, Iesus Christus, per signa seu miracula sese manifestare uellet, non sine grauib; causis primū omnium in nuptijs edidit, ad quas vnā cum discipulis inuitatus fuerat. Primū enim eo facto testatus est, se sponsum nostrū esse, qui nos regni sui consortes esse uelit, & ideo se in mundum uenisse, ut nos sanguine suo ablutos & mundatos sibi perpetuo federe desponset, & in felicitatem æternam transferat. Deinde coniugium simul hoc suo exemplo sanctificauit, quod nostre generationis principium est, & quod propter coherentes ipsi molestias prophetatum & Deo exosum uideri poterat. Ita uerō impostores quoq; confutare uoluit, quos impudens libanus prædicatione, nouissimis temporibus religione simul & uitæ honestatem turbatos esse sciebat. Exhibetur itaq; in hoc miraculo dulcissima consolatio coniugibus, qua labores atq; molestias mirigent, quæ in hoc etiam uitæ genus ex peccato irrepserunt. Vt enim Christus in præsentī tristitiam, quæ ex uini inopia oborta erat, inexpectato beneficio depellit: Ita omnibus illis propitiū adest, qui in eius nomine matrimonium contrahunt, & sua benedictionis labores ipsorum fortunat, ne uel inopia uel alijs malis superari succumbant. Promisit hoc olim sæpe Deus, & hic cum primis pertinet quæ in Psalmo 128. habentur: & haud uanas esse eiusmodi promissiones, exempla eum ueteris recentia abunde docent. Quia uerō his quasi sigillum addidit Dei filius, hoc tam illustri miraculo in nuptijs edito, nos in eius consideratione diligenter uersari decet, ut frequentius nobis occurrant quæ nos consolari possunt. Atqui nuper primas eius partes uidimus, & quæ ipsi hoc edendi oratio oblata fuerit. Sequitur nunc rei gestæ modus & ordo, cuius singula partes ad declarandam miraculi ueritatem & Christi diuinam potentiam faciunt.

Hydris purificationis.

Et primū quidē uasa describuntur, in quibus aqua uinum facta est. Erant ibi (inquit Ioannes) lapideæ hydris sex, posite secundum purificationem Iudeorū, capientes singule amphoras binas aut ternas, &c. Quam ampla aut capaces fuerint annotatur, ut Christi liberalitas simul eluceat, quæ istorum nuptias ornare uoluit. Et aquaria uasa fuisse dicitur, nō uinaria, ne quis aquam usulam ex uino, quod prius in illis fuerit, aut uini facibus, aliquem uini saporem contraxisse putaret. Ideo nō contentus hydras uel aquales dixisse, uinum quoq; illarū exprimit, dum positas fuisse dicit secundū purificationem Iudeorum, id est, ut purificationi seruirent, quam Iudei in lotionibus solebant collocare. Erant illarū uaria genera. Aquas enim Deus per Moysen instituerat, quibus mundabantur, qui aliquid immundi tetigerant, inter quas primatum tenebat aqua lustralis, quæ ex cineribus uaccæ ruse conficiebatur, & sanguinis Christi meritū adumbrabat, qui nos ab omni iniquitate emundat, tam ea quam ex primis parentibus hereditario quasi iure contraximus, quam illa quæ ex quotidianis lapsibus & mundi huius cōmercio nobis aspergitur. Vide de his Num. 19. & Leuit. 15. At his non contenti Iudei, nouos abluitionum et purificationum ritus ex suo cerebro finxerant, quos primatum domi suæ exercebant: sicuti uidere est Marci 7. cap. ubi sic scribitur: Pharisei & omnes Iudei, nisi certatim lauerint manus, non edunt, tenentes traditionem maiorū, Et à foro reuersi, nisi loti fuerint, non edunt: & alia multa sunt, quæ acceperunt tenenda, nempe lotiones poculorum, & sextariorum, & eramentorum, & lectorum, &c. Vt fieri consueuit, superstitio cum ambitione coniuncta fuit: quæ factum est, ut in singulis propē adibus uasa plura & ampla, ad hæc materia & opere pretiosa prostarent, quibus purificandi studium indefinens restabantur. Ideo lapideæ dicuntur fuisse istæ hydris, ne quis uilioris materie uasa imaginetur. Peruasit ista superstitio in ecclesiam, quando inepti quidam publicæ purificationis ergo aquam lustralem parauerunt sale conditam, qua templum ingressi prius purificentur. Et quia per hanc non modò pollutos purgari, uerum etiam diabolos fugari & spectra arceri docuerunt, plerique illam domi in uasis æneis artificose factis afferuarunt, Eoque turpior est istorum superstitio, quod aquam suam mortuorum sepulchris

De consecrat. distinct. 3. cap. aquam sale.

sepulchris & tumbis lapideis inspergunt, ut quæ mortuorum delictis expiandis seruiat, & purgatorij ardores ipsis tolerabiliores reddat. Sed omnis inepitissimorum hominum superstitionibus, Christi bonitatem obseruemus, qui uasis istis bene uicitur, nec uult ut aliorum inepitæ uel errores nouis coniugibus fraudi sint, qui ipsum animo sincero inuitauerant. Voluit præterea admonere, iam instare tempus, quo ritus & Ceremonias legis omnes aboleri oporteat, & veterem illam doctrinam, quæ tota typis & umbris, uisionibus item & prædictionibus obscurioribus cõstabat, in nouum & saluiferum illud euangelij uinum conuertere oporteat, de quo uere dicitur, quod Deum simul & homines exhiberet. Nam & Dei iram placat, & hominũ mentes diris conscientie & peccati terro-
ribus liberat, ut læti Deum colant & inuocent, qui prius in illius conspectũ non audebant procedere. Idem cum oleo diuine gratie infusum uulneribus conscientie, quæ nobis uetus ille serpens fecit, illis salubriter medetur, & carnis prurientis illecebras compescit. Nostrum ergo fuerit, illud in uires nos condere, id est, excipere in animos sinceros & regeneratos, ut gratia Dei instrumenta faciamus, quacumq; nobis olim errorum & superstitionum, uel etiam scelerum occasio & organa fuerunt. Frustra enim ab illis auditur euangelium, qui ueteres traditiones & prioris uitæ consuetudinem cum illo commiseri posse arbitrantur, & euenit illis quod Christus ait, ut & ipsi male pereant, & uinũ effundatur, dum propter illos euangelium impiorum calumnijs profcinditur.

Sed Christum uideamus, qui hydrias simul omnes aqua implere iubet, quod cum ministri fecissent, illam occulta suæ deitatis uirtute in uinum conuertit. Atqui ex nihilo uinum creare poterat, aqua uinum facit. cum olim per illam tota hæc mundi machina ex nihilo producta sit: uel curare ne uinum deficeret, ut olim, quando uidue prospexit, quæ Eliam hospitio exceperat. i. Reg. 17. Adhæc discipulis potius in hac re ministris uiri debebat, cum illos in eum sinem elegeret, ut suorum miraculorũ testes & gratie suæ ministri essent. Sed hoc ad miraculi ueritatem faciebat, & omnem doli uel fraudis suspitionem excluderat, cum ministri, quibus cum nulla illi unquam familiaritas intercesserat, rei testes fidelissimi esse possent. Adhæc se uini creatorem esse docet, & naturæ ordinem nobis in mentem reuocat, quo in uiribus quoq; uinum quotannis ex aqua generatur. Constat enim fruges telluris omnes coelestium influentiarum beneficio prouenire, quibus illa humectatur, ut ijs producendis sufficiat. Illas uero Deus immittit, sicuti in Psalmo 107. scribitur: Qui rigat montes è cœnaculis suis, & de fructu operum eius saturatur terra. Producit fenum pecori, & herbam ad usum hominis, ut proferat panem de terra. Et uinum, quod exhilarat cor hominis, & oleum quod faciem splendens faciat, & panem qui fortificat cor. Facit hæc, quod si uites & ex illis manantẽ succum inspicias, nihil aliud quàm liquorem aqueum reperies. Quod ergo ex iisdem uiribus palmices enascuntur, & ex his paulo post uina dulci musto graues dependent, non absq; miraculosa Dei operatione fit, cuius modum & rationem hominis mens inuestigare uel assequi non potest. At quia miraculũ hoc quotannis euenit, pauci illud obseruant atq; agnoscunt. At qui multum prodest in horum consideratione frequenter uersari, ut ex ea uini & frugum omnium largiorem agnoscamus, & memori mente nos Dei hospites seu conuiuas esse cogitemus, quoties ad mensam accedimus. Ita enim fiet, ut illius donis utamur cum gratiarum actione, quæ cibi & potus sanctificantur, fugiamus autem intemperantiam, quæ ut Dei donaturpiter & magno cum scelere dissipat: ita maximorum quoq; scelerum causa est, quibus ira Dei prouocatur. Et uinam ista expenderent, quos Deus ipsorum uenter ita exagitat, ut ex scripturis, imò ex hac ipsa historia ebrietatis & intemperantiæ suæ patrociniũ querant. Nam ideo nuptijs huius uinum à Christo tam liberaliter donatum fuisse aiunt, ut largiori potu recrearetur, qui ex uini defectu tristitiam & merorem conceperant. Quasi uerò non potius piorum coniugum inopie subuenire uoluerit, à quibus inuitatus fuerat, & suæ uirtutis manifestatione omnes ad fidẽ excitare, quæ omnium uirtutum mater est fecundissima. Quod si uerò belluonibus istis adeò placet scripturæ loci, quibus immodicus uini usus comendari, aut saltem extusari posse uidetur: cur non eos potius obseruare, qui ebriosos damnant, & intemperantiã non sine atrocibus minis prohibent? Cur non Isaiam 14. 8. auãunt clamantem: Ue his qui mane surgunt, ut sedentur siceram, &c? Item: Ue ijs, qui gigãtes sunt ad hauriendum uinum, & uiri strenui ad miscendum siceram. Cur non Habakuk prophetã obseruare, qui ait: Ue ei qui potum præbet socio suo, cõiungens feruorem tuum & inebrias, ut aspicias turpitudinẽ eorum? Uel cur Christum negligunt, dicentem: Caueto ne corda uestra grauentur cra-
Luc. 21.

Ephes. 5.

pula? Aut illud Apostoli: Ne inebriemini vino, in quo luxur est. Hæc (inquam) potius obseruet, & coniungant his exempla cum vetera, tum recentia, quæ docent, ebrietatis studium multis regniis publicè, multis item priuatim exitio fuisse: & mox videbunt quàm fallantur suis illis rationibus, &c.

Deus frequenter iuuat per absurda.

Ceterum relictis porcis & canibus, miraculi modum propius intueamur, ut & fidei confirmationi & institutioni in quibus aduersis seruiat. Vinum creare volens, aquam afferre iubet, quo nihil absurdius videri poterat. At ex aqua illa vinum facit generosissimū, ut postea architrictini verba restantur. Ita frequenter Deus, dum nobis opem ferre instituit, hanc viam ingreditur, ut per ea iuuat, quæ imprimis noxia & a votis nostris alienissima videntur. Sic Israelitas ex Ægypto libera turus, duriori tyrānide ipsos opprimi patitur. Sic Dauidem, cum in regni soliti euehere vellet, illum prius in exiliū eiecit. Et huius generis multa passim occurrunt. Verè ergo de illo dicitur in scripturis: Dominus occidit, & viuificat: deiecit ad inferos, & reducit. Dominus pauperē facit, & locupletat: humiliat, & in altū euehit. Sunt hæc probè obseruanda, ne aduersis offendamur, & illis oppressi de salute desperemus. Vt enim medici in grauioribus morbis acerbiora pharmaca propinant, & sepe secando & vrendo medentur: Ita Deus plerunq; salutem nostram per ea iuuat, quæ in nostrā perniciem putantur esse instituta. Tunc ergo ministros hocce imitemur, qui aquam afferre iussi, mox obtemperant, etiamsi quid ageretur prorsus ignorarent. Est enim inexcusabilis illorum temeritas, qui Deo obmurmurare audent, & illius iudicia atq; facta ad suæ rationis calculi reuocant: quos ita ferè vlciscitur ille, ut promissa bona ipsis eripiat.

Christus miracula sua innotescere vult.

Sequitur ut miraculū hoc, quod occultæ & inuisibili Christi virtute factum fuerat, alijs innotuerit. Quia enim propter nos fiunt signa, eadem conspicua vult esse Deo, ut ex illis doctrinam & fidei confirmationem petantur. Ita cum similiter arcana virtute quing; manus inter discumbentium manus multiplicare vellet, prius inquirere & videre iubet, quot nam panes in tota ista hominum turba inueniantur, ut ex eo postea discipuli miraculose hoc factum esse intelligant, & ipsius diuinam virtutem agnoscant. Quod si ea consideres quæ in curandis agrotis fecit, illic quoq; miracula ab omnibus videri & agnosci poterunt. Seruiunt hæc ijs cōsuetudinibus, qui nobis hodie miracula obrudunt, quæ nemo mortalium vnquam vidit aut sensit, & quæ nullis scripturis cōmendantur. Quales sunt, qui corpus Christi in pane contineri, aut panem in illud transubstantiari docent. At quæ hominum hoc fieri vnquam vidit? Quis carnem & sanguinē gustu deprehendit? Nec enim fidem merentur Monachorum de Sacramento altaris fabula, quæ adeo putida sunt & inepicæ, ut cōsuetatione haud quaquam opus habeant. Dicunt illi: At Christi verba sunt, Hoc est corpus meū, &c. Audio. Num verò his verbis prolatis nos ex pane corpus eius facere, aut illud celo de terra celi panem includere vel al ligare iussit? Annon idem dixit: Si habueritis fidem ut granum sinapi, dicetis monti huic: Eradicare, & projicere in mare? Quis verò sanctorum vnquam verbis istis abusus est, ut abs se montes transponi diceret, quos loco suo dimoueri nemo videbat? Sed hæc alterius sunt tractationis. Sufficiat nunc Dei morem obseruauisse, qui miracula sua à nobis cognosci & sentiri vult, cum ignotorū vsus sit nullus. Ideo Christus hoc quoq; diu latere noluit, sed quam primum aquam in vinum abisse sciebat, ministris ait: Haurite nunc, & offerre architrictino. Non statim conuiuui apponi vult, quorum pleriq; fortassis ignorabant vinum defecisse, sed architrictino gustandum offerre iubet, qui de eius bonitate præ alijs iudicare poterat, & vinum omne iam exhaustum esse sciebat. Agnoscit hic illic vinum esse generosissimū, licet vnde illud ministri hausissent nesciret. Et offensus rei nouitate, quod nimirum in nuptijs hisce aliquid præter morem commune ageretur, vocato ad se sponso ait: Omnes primo loco bonum vinum apponunt, & cum inebriati fuerint, id est, ubi bibendi satietas cepit conuiuuias (est enim locutio hæc familiaris scripturæ, etiam ubi de sanctis & honestis conuiuuijs agitur, ut in Iosephi historia & multis alijs locis est videre) tunc id quod deterius est, tu seruasti bonum vinum vsq; adhuc. Quæ omnia ad miraculi commendationē faciunt, ne quis aliquid fraudulenter aut imperfectè nimis factum existimet. Pulchrè autem exprimit veteris hæc conuiuuiorum consuetudo mundi & principis eius ingenium: qui primò illecebris vitiorum & inani turpissimarū voluptatum oblectatione inescat & inebriat, postea verò inebriatis toxicū miscet, dum aut incurabiles facit, aut in desperationem adducit, & ita in extremi exitij baratrum precipitat. Specimē eius rei in primis parentibus edidit, quos vetiti fructus aspectu & dulci fragrantia inebriatos a Deo abstraxit, & mox ipse

ipse ipsam suam nuditatem cum magna confusione ob oculos posuit. Et sunt multa huius generis quotidie in scortatoribus & adulteris, in avaris, in ebriosis, in sanguinarijs militibus, in omnibus demeritis, qui illius illecebris locum dant, & affectus carnis in consilium admittunt. Nec in hisce modo crassioribus vitijs hoc fit, verum etiam in doctrina & salutis aeternae negotio. Nam hic quoque humanas traditiones & quae ex his enascuntur superstitiones mirifice ornat, & fucata verbi diuini ostentatione venditat, adeoque aliquem huius sapore illis admiscet: tandem vero his inebriatos obruit, & aeternae damnationis luto immergit. Quod mihi respexisse videtur spiritus sanctus, quando falsam doctrinam vino inebrianti confors, & purpurata illi meretrici, magna matris fornicationum scyphum tribuit, quo reges & populos inebriat. Longe aliter Christus, qui est virtutis & verae pietatis initia nobis dura & tristia proponat, sinem tamen facit latissimum, & quam ex illis coepimus molestiam dulcissima recreatione compensat. Possunt huc referri, quae philosophi de virtutis & victorum via per litteram Pythagorae adumbrata et adiderunt.

Habet praeterea historia haec dulcissimam allegoriam, quae ecclesiae conditio depingitur. Est haec sponsa filij Dei, & in hoc eadem seculo nuptiale conuiuium celebrat, dum euangelij praedicatione & sacramentorum legitimo vsu fruatur, quae Christum Iesum, verum illum panem & fontem aquae viuentis nobis proponunt. Interim, quia periculis & casibus aduersis perpetuo exercetur, & frequenter satan obrepens contentionis pomum iniicit, videtur interdum Christus illius curam deposuisse, quando clamantis ecclesiae preces quasi surdis auribus praeterit, vel etiam castigatone excipit duriori. At tamen illam exaudit tandem, & afflictam vel ex omni tribulatione asserit, vel consolationibus amicis & efficacissimis subleuat. Sequitur tandem laetus ille dies redemptionis, quando per aeternam illi obuiam abripiemur in domum patris, ubi ad ipsius Christi mensam beatae immortalitatis nectare & ambrosia aeternae felicitatis saturabimur.

Allegoria ecclesiae.

Porro concludit historiam hanc Ioannes hisce verbis: Hoc principium signorum fecit Iesus in Cana Galilaeae, ut manifestaret gloriam suam, & crediderunt in illum discipuli eius. Principium signorum dicit signum primum, quo sese mundo manifestauit. Quia enim haecenus latuerat, neque docendi munus adhuc susceperat, signis quoque nullis opus fuit. Docuit quidem in templo, cum puer esset annorum duodecim, sed hoc praetudium modo fuit functionis suae & modolis specimen, quo nonnullos in sui admiratione pertraxit. Mendacij ergo & falsi conuincuntur hoc Ioannis dicto, qui libros de Christi pueritia & miraculis a puero editis conscripserunt, quales sunt, qui Bonauenturae nomine circunferuntur, & alij horum similes. Voluit autem falsis signis hominum mentes imbueret satan, ut circa illa occupati ea minus obseruent quae in scripturis sacris extant, & solidam Christi cognitionem tradunt. Duo autem simul attingit euangelista, quae obseruasse prodest. Primum miraculi huius finem indicat, quando ideo factum dicit, ut Christi gloria per illud manifestaretur. Est hic praecipuus omnium operum Dei finis, qui per illa nobis vult innotescere, & fidem facere ijs, quae verbo suo traduntur. Falsa ergo miracula sunt, quaecumque gloriam Christi obscurant, aut illam in creaturas transferunt: qualia sunt quae in Papatu de ijs, quae ad Diuorum sepulchra, ossa, vestes & alia eius generis facta sunt, praedicantur. Seimus equidem olim ad martyrum tumbras signa facta fuisse, & apud Christi sepulchrum demones rugisse (ut Hieronymus scribit) sed his Deus doctrinam euangelij obsequare voluit, quae solum Christum satanae victorem esse docet. Quod si his ad stabilendam superstitionem abutimur, falsa sunt, si non per se, certe per accidens (ut dialectici loquuntur) & nostra culpa. Frustra ergo nobis signa eiusmodi obijciunt aduersarij, cum non vlla alia agnoscamus, quam quae Christi Iesu gloriam illustrant. Secundo vsus huius miraculi indicat, quando discipulos in illum credidisse dicit. At qui iam ante crediderint oportet, siquidem discipuli eius fuerunt. Sed de fidei profectus & confirmatione loquitur, quae electi semper opus habent. Et hunc quidem omnium aliorum vsus esse Ioannes infra cap. 20. docebit, dicens: Multa quidem & alia signa fecit Iesus coram discipulis suis, quae non sunt scripta in libro hoc: haec autem scripta sunt, ut credatis, &c. Vbi simul admonemur, merito iam cessauisse miracula, cum fidei doctrina iam dudum abunde confirmata sit, & nefas est eos signa requirere, qui Christo toti consecrati videri volunt. At simul hic obseruanda venit Iesu Christi indulgentia plane paterna, qui in discipulorum numero haecenus eos habere dignatus fuit, quorum fidem eiusmodi signo confirmari oportuit. Quales enim eos tunc fuisse putas, qui post signa innumera

Miraculi finis & vsus.

& diuturnam Christi institutione multa tam absurde fecerunt atq; dixerunt? Sunt ergo nimis temerarij, qui hodie quosvis damnant, in quibus aliquam imperfectionem deprehendunt. Curandum est amen fuerit, ne nobis ipsis in infirmitate nostra blandiamur, sed quotidie in melius proficendo adulescamus in virum perfectum in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

H O M I L I A X I I I I.

Postea descendit in Capernaū ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & manserunt illic non multos dies. Et prope erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymā. Et inuenit in templo eos, qui uendebant boues & oves & colūbas, & numularios sedentes. Factoq; ex funiculis flagello, omnes eiecit e templo & oves & boues, & numulariorum numulos effudit, mensasq; subuertit. Et ijs qui columbas uendebant, dixit: Tollite ista hinc, ne facite domum patris mei domum negotiationis.

Quoniam Dei filius in mundum venit, ut vera sui cognitione (sicuti Isaias ait) iustificaret credentes, noluit diu ignotus latere, sed mox ut baptizatus & publico patris testimonio inauguratus fuit, doctrina simul & miraculis sese hominibus manifestare cepit. Et primò discipulos aliquot sibi delegit, quos priuatim institueret, ut salutis prædicatio per illos latius vulgaretur. Deinde signū in Cana Galilææ edidit, quo aquam in vinum conuertit, ut ex eo diuinam eius maiestatem atq; virtutem agnoscerent, qui hucusq; nihil in ipso maius homine agnouerant. Sequitur deinceps ut publice officio suo fungi ceperit: & primò quidem narratur quid in Galilæa fecerit: mox verò quid Ierosolymæ ab ipso sit gestum.

Iesus secedit
Capernaum.

Quoad primum, paucis completitur Iohannes, quæ alij copiosius exposuerunt. Vnum enim hoc dicit, quod post miraculum in Cana Galilææ editum, vna cum matre & fratribus & discipulis suis descendit Capernaum. Hebraica autem phrasi fratres Christi dicuntur, qui eius cognati erant, quoad lineam maternam. Neq; putandum est, quod alios filios, præter Christum, Maria pepererit. Voluit enim ex Virgine homo nasci Dei filius, ut sanctum & perfectum pro peccatis nostris sacrificium esse posset. Et Maria mater quidem esse potuit, mulier autē esse non potuit, ut Augustini verbis utamur, qui simul multis docet, Christi fratres dici non alia ratione, quam qua Abraham & Lothus, Laban item & Iacobus fratres dicuntur. Ceterum priusquam Capernaum veniret Christus, in multis Galilææ ciuitatibus docuit & à suis conciuibus Nazarethans ignominiosè repulsus fuit, sicuti Matthæus & Lucas scribunt. Et cum eodem tempore Herodes Ioannem in carcerem coniecisset, Christus cum matre & cognatis Capernaum concessit, & illic domicilium sibi, vel potius matri Virgini (ut Theophylactus annotat) constituit. Matthæus certe eum illic habitauisse dicit, & Capernaum ciuitatem eius vocat. Et verisimile est, paulò antea è viuis excessisse Iosephū, & proinde opus fuisse, ut Maria de hospicio commodiori & magis tuto prospiceretur. Atqui ut ista habeant, constat Christum ciuitatem illam delegisse, non ut suo orio, sed aliorū potius salutis cōsulere. Nec enim illic moram traxit diuturniorem, sed mox ad prædicandū munus reuersus, Petrum & Andream, qui iam ante (ut vidimus) ipsi nomen dederant, Ioannem item & Iacobum, Zebedæi filios, vocauit, ut relictis rebus omnibus ipsius discipuli & comites indiuisi fierent. Deniq; totum illum tractum doctrina & miraculis suis illustrauit. Ergo non perfunctorie & quasi aliud agens, sed magno studio ijs hominibus prædicauit, quos præ alijs doctrina & consolatione opus habuisse nuper diximus.

Cur Christus
Capernaum
præ alijs dele-
git?

At hic imprimis obseruandū fuerit, quod Capernaum potius, quam alibi sedem sibi delegit, vnde ad prædicandum exiret, & quo se quasi ad suos reciperet. Fuit hæc ciuitas atum totius Galilææ celeberrima ob loci commoditatem, eò quod ad ostia Iordanis lacum Genesareth ingredientis sita esset. At cum Christus neq; negotiatione exercuerit, neq; huius vitæ delicias quæsiuerit, non aliam ob cau-
sam in

Sam in ea vrbe hospitium sibi constituisse dici potest, quam vt doctrina & miraculorū eius fama ob loci celebritatem citius & latius vulgaretur. Vt enim obscuriores locos non cōtempserit vnquā, sicuti nuper monuimus; ita occasionem semper captauit, qua quam plurimos in sui cognitionem & ad salutis cōmercium adduceret. Et Capernaum ipsius prädicatione & factis nobilitatum fuisse, ipse testatur, quando in caelos vsq; exaltatum esse dicit. Quoties ergo hodie etiam nobiliores ciuitates euāgelij sūtiluce Deus dignatur, meminerint illa, hoc non ipsorū meritis aut splendori tribui: sed vt maior sit huius doctrine ad plures alios propagandae occasio. Curent itaq; ne sua ingratitude vel contumacia Dei consilium, quantum in ipsis est, impediant. Quam grauius enim talibus ille irascatur, idem Christus docet, quando ad inferos vsq; detrahendū dicit Capernaū, quod paulo ante ad caelos ipse euaserat. Et Iosephus auctor est, totam illam regionem Romanorum armis crudeliter vastatā fuisse, qui horribiles in ea strages fecerunt, priusquam Ierosolymorum urbem obsiderent; vt inde mirum gentis Iudeorum excidium inciperet, vbi primum salutis doctrinā Dei filius frustra prädicaauerat. Confutatur itaq; hoc exemplo primum pseudoeuangelici, qui sibi impunitatem scelerum ex eo pollicentur, quod euāgelij prädicationis locum dent, neq; vident incerea quam turpiter illa ipsorū flagitiosa licentia probantur: Deinde Romanos quoq; qui primatum in ecclesia ad se pertinere clamant, eo quod Romae Petrus prädicaueit, & ipsi ordinaris successione cathedram illius obtineant. Num verò Petrus Christo preferri debet, qui cum Capernai hospitium habuerit ordinarium, nunquam tamen praecepit, vt ea ciuitas ecclesiae suae caput diceretur? Et ex historijs constat, Apostolos multis vrbibus prädicauisse, & in illis ecclesias constituisse celeberrimas: qua tamen propter posterorum impietatem vastata & funditus excisae sunt. Ergo salutis & dignitatis Christianae cardo nequaquam in eo versatur, vt quis olim hic aut illic primus docuerit, aut quales nostri fuerint maiores plenis buccis prädicemus, sed vt nostram fidem pia gratitudine & morum atq; totius vitae innocentia testemur.

Ceterum vbi Galileam omnem euāgelij prädicatione Christus illustrauit, Ierosolymā ascendit, qua totius gentis caput erat, & vbi cultus sui sedem iam inde ab antiquo constituerat Deus. Illic verò opus facit, quo nullum fieri poterat excellentius, quodq; magis seruiret ad declarandam Messiae maiestatem & suae diuinitatis potentiam. Nam qui hactenus vitā priuatā egerat & ne nunc quidem, quoad homines, publica auctoritate erat instructus, templū ingreditur, & inde eiecit quicquid in illud contra primam Dei institutionē inuexerant avari sacerdotes, quorum auctoritas tunc temporis Romanorum praesidium armis atq; potentia defendebatur. Ideo in huius facti descriptione diligens admodum est Ioannes, vt planē diuersum videas ab eo, quod alij euāgelistae in vltima professione illum paucis ante mortem suam diebus fecisse scribunt. Quod enim hic narratur, in primo eius in urbem aduentu factum esse, totius historiae huius contextus docet, quam in professiones Christi Ierosolymitanas diuidi, primo Sermone diximus.

Primo tempus notatur: Et propē erat pascha Iudeorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Conueniunt haec quidam non malē cum precedentibus, vt causae reddito sit, cur paucis modō diebus Capernai manserit Iesus: nimirum quod pascha instaret, quod Ierosolyma peragere cōstituerat. Eo igitur ascendit duas ob causas. Prima est, vt in populi vndiq; ad diem festum confluentis frequentia maiorem habeat sese manifestandi occasio: quod illum diligenter obseruauisse modō diximus. Altera, quod ita in Lege cōstituisse Deus, vt ter in anno omnes mares cōparerent corā Domino, in loco quē ipse elegerat: nepe in festo Azymorum, in festo hebdomadū seu Pētecostes, & in festo Tabernaculorum. Quia ergo in mundū venerat Dei filius, vt Legē implendo nos ab eius maledictō liberaret, ea quoq; diligenter obseruare solitus fuit, quae ad externam illam Legis disciplinam & cultum mysticum, paulo post per mortem suam abolendum, faciebant. Quoties ergo illum postea ad dies festos venisse audiemus, hoc illum propter nos fecisse cogitabimus, & in illo quaeramus ea, quae cōmunijs illis adumbrantur. Interea suo exemplo externa pietatis exercitia nobis commendat, & eos confutat, qui illa negligunt atq; contemnunt. Fit istud hodie non modō ab ijs, qui se palam ad omnem impietatem deuouerunt, verum etiā a nonnullis, qui praeter alios religiosi & fideles esse videntur. Clamāc enim frustra prädicari verbum, nisi Deus corda illuminet, & externis ritibus Deum, qui spiritus est, colā non posse: ad haec salutis rationem omnē à gratuita Dei electione pendere, in nobis verò nihil esse quo

Primus Christi aduentus in urbem Ierosol.

Christus ascendit ad pascha.

Deut. 16.

iusufficiemur aut saluemur, prater fidē, quae nos Christo inserit, ut in illo iustitia & salutis confortes reddamur. Et bene quidem haec omnia dicunt: sed male ex his colligunt, quod inuites sint sacri ce-
 ritus, quod ex verbi predicatione nihil ad nos virtutis redeat, quod nullus sit in salutis causa sacra-
 mentorū usus: & hisce rationibus, vel paralogismis potius seducti omnia rident & fastidiunt, quae
 propter nos Deus instituit. Etsi enim salus nostra externis hisce exercitijs minime alligata sit, illis
 tamen vititur Deus esse fulcris, quibus nostra infirmitati subueniat: & cum in his eluceant diuina
 bonitatis argumenta, eademq; promissiones Dei nobis obsequent, & nos officij nostri iū erga Deum,
 tum erga proximum admoneant: non possunt non singulariter ex illis voluptatem capere, quicumque
 vero pietatis studio tanguntur. Quae autem obsecro confidentia est (ne quid grauius dicam) ea con-
 temnere, quae à Dei filio obseruata fuisse legimus? qui cum illis minime indigeret, propter nos tamen
 circumcidi, baptizari, festa peragere, epulo paschali frui, & Canam mysticam cum discipulis sumere
 voluit. Nostra ergo conditionis memores, cum fide modestiam coniungamus, ut quamuis in vniuersis
 Dei gratiam & Christi meritū intuenti simus, interim tamen pie vtamur ijs, quae ab ipso Christo no-
 bis sunt commendata.

Christus in tem-
 plum diuertit.

Malc. 5.

Deinde quod Christus diuertit, indicatur. Non quidem in Antoniam, quam Herodes pro tem-
 pli defensione munitione secliam mutato veteri nomine, ab Antonio, amico & patrone suo ita voca-
 uit. Non item in pratorij, neq; in summi sacerdotis domum diuertit Christus, sed in templum, quod
 patri sui domum postea dicit: & hoc statim argumento docet, se Dei filium esse, & templi curā atq;
 gubernationem iure ad se pertinere. Et hoc quidem ex Messiae officio facit, sicuti olim Malachias
 prädixerat. Is enim cum hypocrita promissiones Dei omnes, & cum his Messiae quoq; aduentum in
 dubium vocarent, illum omnino venturum dicit, at non qualem ipsi expectent, qui scilicet ipsius oij
 & pacis huius seculi auctor sit: sed seuerum vindicem & assertorem gloriae Dei, qui cultum quoque
 tam internum quam externū offeruit, & è templo eieciturus sit, quacumq; cum veteri institutione
 pugnent. Sic enim ait: Ecce ego mitto legatum meum (Ioannem nimirum Baptistam) qui purgabit
 viam, ante me, subitq; ad templum suum veniet. DOMINVS, quem vos quaeritis, & legatus se-
 deris, quem vos deheratis. Et mox subiicit: Sedebit excoquens & repurgans argentum: & filios
 Leui mundabit, &c. Quae verba euidenter docent, Messiam templi & ordinis Leuitici reformato-
 rem fore, simulq; corruptum religionis & totius sacerdotij statum innuit, quem ille sit inuenturus.
 Nihil ergo hic temere aut cōfidenter fecit Dominus, sed quod eum facturū esse spiritus sanctus olim
 prädixerat. At quia hoc agendo sacerdotis & regis personam suscipuit, admonentur illius exemplo
 antistites & magistratus omnes, ut cultus diuini curam ad se pertinere cogitent, & de illo cum cor-
 rigendo tum propagando sint solliciti. At ea est nostri seculi infelicitas, ut principes quidem religio-
 nis causam, quae nihil ad se pertinetem reijciant, & eo nomine pietatis laudem vanentur: episcopi
 vero negotijs huius seculi impediti, templorū curam hominibus partim supersticiosis, partim impro-
 bis, aut saltem ineptissimis committant. Perit itaq; religio, & pestiferum hominum quaesitū atq; li-
 bidini seruiunt, quae publicae omnium salutis inferuire debebant.

Christus eiecit
 nundinatores
 è templo.

Videamus autem quid hic fecerit Christus, ut quid hodie fieri debeat intelligamus. Inuenit in
 templo eos, qui vendebant boues & oves & columbas, & numularios sedentes. Et atq; ex funiculis
 flagello, omnes eiecit è templo vna cum suis pecudibus, & numulariorum numulos effudit, mensasq;
 subuertit, &c. Paucis euangelista horribilem sacrorum omnium apud Iudeos prophanationem, &
 Christi Iesu incomparabilem potentiam & humana maiorem virtutem comprehendit. Quod si verò
 hoc eius factum ad nostrae rationis calculum reuocet, non modo temerarium, sed iniustum, adhaec tur-
 bulentum & seditiosum videbitur. Quid enim audacius fieri poterat, quam vnum & solum plures
 simul inuadere absq; auctoritate publica, & non verbis modo acerbitibus, verum etiam verberibus
 ut seruos multare, imò flagellis cantū instar expellere, idq; in loco sacro & festo celeberrimo, inq; ma-
 xima hominum omnium loci & ordinis frequentia? Deinde iniustum est pecuniam alienam attingere
 vel effundere. Prater ea ab homine privato nihil in ecclesia & repub. absq; seditionis suspitione mu-
 rari vel inuocari potest. At obseruabimus è contra, nihil hic sine numine factū esse, sed spiritu duce,
 qui zelum hunc in Christi animo accenderat. Deinde illum nō inter priuatos homines esse numeran-
 dum. Nam etsi neq; à Romano Imperatore aliquid potestatis in repub. neq; à sacerdotibus in ecclesia
 aliquem

aliquem locum accepisset, Deus tamen ipsum vnixerat præ consortibus suis, vt Rex esset in Zion monte sancto & sacerdos summus secundum ordinem Melchizedech. Debit igitur suo fungi officio. *Psal. 45, 2. & 110.*
 At hoc Messie regis & sacerdotis officium fuisse, paulo ante ex Malachie oraculo didicimus, Cui addere licet, quod Zacharias Chananæis, id est, negotiatoribus & mercatoribus nullum in templo Domini locum fore prædixit. Nihil ergo temere, nihil imprudenter, nihil iniuste, nihil seditiose fecit Christus, sed ex officio hoc fecit, nec peccare potuit, qui aquam quiduis agendi potestatem à Deo patre acceperat. Sed & seditio nulla erat illi timenda, qui ipsas hominum mentes manu sua teneret, & illis pro suo arbitrio imperat. Et sanè inter miracula, quæ Christi Deitatem asserunt, hoc mihi vnum ex præcipuis videtur, quod hæc faciens omnium mentes ita continuit, vt nemo contra ipsum manus mouere ausus fuerit in gente seditiosissima (qualem Iudæorum fuisse scimus) cum hæc iniuria ad omnes simul sacerdotes, seniores, populum, summos denique & infimos redundaret. Debet igitur huius exempli consideratio nos consolari, ne mundi huius minis aut ab hoc impendentibus periculis terra murmur, si quid ex Christi mandato faciendum est. Regnat enim ille etiam hodie, & hostium vel mentes mutare, vel manus cohibere poterit, si ita ipsi videatur.

Ceterum vt & historiam hanc rectius intelligamus, & eadem nostræ institutioni melius seruiat, Templi prophetia penitus videre oportet, quæ ista templi profanatio fuerit, in qua tollenda Dei filius tanto zelo vnatio qualis sus est. Vbi ante omnia tenere oportet, templum (vt alibi monuimus) à Deo fuisse institutum, vt ad illud Israelitæ omnes, ceu ad communem totius gentis parochiam conuenirent, nec ad alienas superstitiones & sectas diuersas dilaberentur. Illic verò præter legis doctrinam sacrificia tam publica quam priuata peragebantur, quæ cum Christi typos haberent, nisi iam alibi offerre licebat. Quia verò incommodum erat ex remotissimis Iudææ finibus victimas Ierosolymam adducere, permisit Deus, vt ibi emerentur quæ ad sacrificandam pertinebant. Hinc verò occasione sumpta sacerdotes quæstus nouum instituerant. Nam in ipso templi atrio vendebant boues, oves, hædos, columbas, omnia denique, quæ sacrificaturis erant necessaria. Neue monetæ diuersitas peregrinis ea in re impedimento esset, numularij quoque accesserunt, qui peregrinorum pecunias cum lucro commutarent. Erat ergo hic pius pretextus, & ad Dei gloriam hæc instituta esse videbantur. At quia Dei instituto non respondebant, et sacerdotum auaritie seruebant, qui ipsum quoque sacerdotum sibi quæstus fecerant, ideo tam acriter aduersus illos excelsit Christus, & flagellis eiciens eos censebat. In ipsa tamen actione moderationem adhibet, et facti sui rationem reddit, quando columbas vendentibus dicit: Tollite ista hinc, ne facite domum patris mei domum negotiationis. Patris sui domum vocat templum, quia in hoc suo cultui consecratum esse voluit: et simul ostendit se non in alieno tam imperiosum esse, quia sui officij sit patri sui ius asserere. Negotiatio nem verò, quæ priuato hominum quæstui seruebat, cultui diuino opponit, cum quo illa nihil commune habet, & ideo è loco huic sacro eam auferendam esse iubet, adeoque illud Zachariae ipsis in mentem reuocat, quod supra adduximus: Non erit illo die vltra Chananæus in domo Domini exercituum. Et credibile est, hoc ipsum à Christo fuisse expositum fuisse, quando constat Euangelistas non integras Christi conciones, sed illarum summam & præcipua argumenta descripsisse.

At quia hæc perpetua est Christi Iesu regula, Dei domum non debere in domum negotiationis conuertere, neque locum dandum esse in ecclesia negotiatoribus, hoc eius factum in exemplum trahi debet, vt ex eodem disicamus, quomodo ecclesie reformatio hodie institui debeat. Hac enim omnino opus esse omnes cordati fatentur, et quauis nemo fateretur, res ipsa clamitat. Postquam enim in ecclesia omnem potestatem sibi vendicauerunt homines auari & ambitiosi, tota religio quæstus factus est, & templa emporiorum loco esse cœperunt. Nam vt ab ipso sacerdotio incipiamus, quod illi absque scripturarum auctoritate in Leuitici ordinis per Christum aboliti locum substituerunt: nemo ad illud admittitur, nisi qui rasus aut vnctus fuerit. At nisi pecunia detur, nec radi nec vngui poteris, nec etiã hoc assequaris, sine pretio ad pinguioris alicuius conditionis administrationem admittentis. Vbi palam impletur, quod in Apocalypsi legimus, neminem in Antichristi regno habere ius emendi aut vendendi, nisi qui bestia characterem acceperit. At hoc accepto, Deus bone, quanta cum impudentia quæstum faciunt? & quid non in suam illam negotiationem trahunt? Ex ijs certè, quæ non ipsorum iuris sunt, & quæ non habent, lucrum captant vberimum: ex terra nimirum, dum funera pro pretij numerati ratione vel hoc vel illo loco sepeliunt: ex aqua, quam illi suis exorcismis consecraverunt: ex aere, quando nolarum sonitum

diuendunt: ex igne, dum sua incensa, vel fumos potius, viuis & mortuis obrudunt: ex ciborum discrimine, dum illorum esum, nisi pecunia accepta, non concedunt. Idem circa sacramentorum usum fieri videmus, quorum numerus ab illis auctus est, vt questus esset vberior. Imò in cælum vsq[ue] suam negotiationem extenderunt, cum peccatorum remissionem, Dei gratiam & spiritus sancti dona pretio vendunt, & ipsum Christum (si illorū figmentis credimus) è cælo detractū pro viuorum & mortuorum delictis denuo sacrificant. Si ergo D. Augustino teste, boues vendunt, qui ex ministerio ecclesiastico (quod per boues tritantes in scripturis adumbratur) questū & honorem priuatum capiunt: si columbas vendunt, qui spiritus sancti, in columbe specie super Christū delapsi, donis negotiantur: si oues vendunt, qui vt suo questui cōsulant, miseros homines per superstitionū ambages ad inferos deducunt & satanae mancipia faciunt: quis neget, hodie etiam in ecclesia boues, columbas & oues venales exponi? Et tamen ista aliquo modo ferri poterant, si emere volentibus duntaxat suas merces offerrent, & illorū tyrannide aliquando vel per morie effugere liceret. At hæc inuis quoq[ue] obrudunt, & nisi ab illis emas, mox hereticus dicēris, & fortunarum omnium simul & vitæ periculum incurres. Ad hæc moriturus iam maximè insidiantur, et quos predicatione gratia Dei per Christum parte consolari debebant, eos purgatorij ignis cōminationibus terrent, & eo prætexitu hereditates intercipiunt, & iam olim terras, arces, oppida, imò integra regna hysce artibus in suam potestatem redegerunt. At quid opus est his recenendis immorari? cum stellas cœli, quàm horū impossitas numeraueris, & omnibus notū sit neminem sub his vel nasci, vel baptizari, vel ad Christū mensam accedere, vel nubere, vel labore suo partis bonis frui posse, nisi pecuniā in promptu habeat: quin per illos ne mori quidē gratis licebit, nisi hereticus, impius, apostata audire velis. Hæc itaq[ue] è medio tolli oportet, cum primæ institutioni aduersentur & Dei cultū prophanent, & populū à vera salutis ratione abstrahant. Neq[ue] audiendi sunt, qui ecclesiæ reformationi ferè hysce argumentis sese opponunt, quod nemo ad fidē cogi debeat, cum ea Dei donum sit, & quod prius ex animis eijciende sint superstitiones si externa hæc cum aliquo fructu velimus abolere. Sciebat enim Christus fidē Dei donum esse, & ideo infra dicit: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et idem de animorū purgatione diligenter vbiq[ue] disserit. Nihilominus tamē prophanū illū sacrorū omnium et templi abusu illico tollit, et quid omnibus seculis fieri debeat, suo exēplo docet. Nā estī fidē nemo largiri posset, externa tamē impietas prohiberi potest, et vt hoc faciamus leges diuine iubēt. Et vt animi à superstitionibus liberentur, multū refert vt externa illa fulcra auferas, quibus illa stabiliantur. Imò vt agricola sentes et spinas excindat priusquā sementem faciant, ita tolli oportet quacunque cum vera religione pugnant, si huius semina cum aliquo fructu spargere velis.

Per quos reformatio ecclesiæ debeat fieri?

At ne quid hinc temere & cū scandalo fiat, curandū fuerit, vt reformatio per eos fiat, quorū hoc est officium, & vt iidem regulas à Deo prescriptas obseruent. In vtroq[ue] nos Christi exemplū insumit. Primo enim (vt diximus supra) opus hoc nō vt homo priuatus, sed vt Rex & Sacerdos à Deo constitutus peregit. Regū ergo & antistitū est, ecclesiæ reformationē instituere. Quia enim illi dignitatem suā omnē à Deo acceperunt, & officij sui finē habent salutē publicā, prima illis de religione cura esse debet, sine qua neq[ue] Deo suus honor saluus esse potest, neq[ue] publica salus consistere. Illos autē vtgere debet verbi ministri, et ex scripturis docere, quid tolli, quidue substitui oporteat. Neq[ue] illorū rationibus eos moueri oportet, qui nihil hinc nisi ex cōmuni totius orbis Christiani consensu, aut publica generalis Concilij autoritate agendū esse existimant. Nam etsi maximè optandū sit, vt omnes reges & principes curam hanc cōmuni studio simul suscipiant, quia tamen hoc ne sperari quidē potest, et Pontificū potentia maior est, quàm vt ad ista consilia facile adduci possint: non est, quod alios expectent, qui veritatis luce semel illustrati sunt, quin potius alijs cessantibus, eorū saluti prospectū curēt, quos ipsorum fidei Deus concredidit. Fecerunt hoc olim sanctissimi reges et principes veteris testamenti, quorū exempla Christiani Imperatores secuti sunt, qui Episcopos non raro coegerunt officium facere, cum illos aut seigniores, aut etiā maligniores esse viderent, quorum exempla alibi cōmemorauimus.

Regulæ reformationis.

Deinde Dei patris autoritatem allegat Christus, quando hanc eius domum esse ait, & alibi ex scripturis docet, eam orationis domum esse, et proinde nō debere rebus prophanis seruire. Atqui ecclesiam domū Dei esse docet Apostolus, in qua verè habentur ea, quorū typi et figuræ in veteri templo extabāt. Ergo in hac vnus Dei vox audiri debet, et ex eius verbo petenda est reformationis regula.

Rursus

Rursus ergo nobis frustra totius orbis consensum aut Concilium generale obijciunt. Quid enim hic homines faciant, ubi solus Deus auditur, cui omnes subijci debent? Extat verò eius verbum in scripturis, quæ eius voluntatè ita nobis declarant, ut eam nulla hominum auctoritate stabiliri aut confirmari opus sit. Hoc potius curandum, ut iuxta illius præscriptum reformationes ita instituantur, ut primò quidem nihil relinquatur, quod cum illa pugnat: deinde verò in eorum locum surrogentur quæ ille præcipit atque iubet. Et in priori quidem parte magno studio & zelo opus est, ne vel boni specie, vel comoditate, aut etiã nostri animi sancta intentione nobis imponi patiamur. Poterant enim istis rationibus excusari quæ in templo Ierosolymitano fiebant: sed tollit illa Christus, cum Dei cultus illis pollueretur. Poterat olim eodem prætextu defendi serpens æneus, sed illum confringit Exechias, cum Iudei illo ad idololatriam abuterentur. Quia tamen hic multi pedem sistunt, quasi sufficiat abusus sustulisse, non minor cura in altera quoque parte adhiberi debet, ut doctrina puritas, legitimus sacramentorum usus, morum disciplina & quæcumque alia Deus præcipit, reducantur. Possent hæc multis tractari, sed brevitatè studio omittimus, quæ alibi prolixius sunt dicta.

Restat, ut Iudeorum exemplo discamus, quid eos maneat, qui Christum ecclesiæ reformatorem ferre nolunt. Nunc enim mitius cum illis agit, & ne verbis quidem durioribus eos laceat, sed contentus est: esse prophetam sacrorum nundinationem, amice illos officij admonet. At cum illi eam paulò post reducerent, & ipsius doctrinam pertinaciter reluctarentur, maiori ipse etiam severitate utitur, & horrendi sceleris eos accusat, quòd domum Dei speluncam latronum fecerint. Et cum nec ea ratione quicquam proficeret, & illi superstitiones suas quæstuosas mordicus retineret, reformatores alios excitavit, Romanos nimirum, qui Vespasiano & Tito ducibus urbem unam cum templo funditus everterunt, & tota Iudeorum gente per totum orbem dispersa, simul omnem urbem recuperanda & templi reedificandi occasione abstulit. Ex his cordati colligere possunt, quid nostro seculo sperandum sit. Vnus est iam annis aliquot Christus flagello verbi, & per hoc idololatriam et superstitiones multis ex locis expulit, & idem passim facere studet. At quam parùm proficiat, res ipsa loquitur. Alij enim ipsi sese hostiliter opponunt, alij superstitiones hoc vno nomine retinent, ut apud mundum aliquam gratiam inveniunt: multi etiam iam liberati ad vomitum redeunt, vel ignavia sua Veritatem turpiter produunt. Denique cum idolomania, quæ inter Christiani nominis professores exercetur, Turcis & Iudeis scandalo sit, solis tamen illis res leucula & tolerabilis, vel etiam laude digna videtur. Erunt ergo aliunde adducendi reformatores, qui hanc tollant, neque id difficile erit Deo, qui cordibus hominum imperat: et quo usque iam progressi sint Turcæ, quibus quasi flagello iam multis annis usus est, omnes vident: ulterius fortasse progressuri, nisi per Dei verbum sese reformari patiantur, qui se illi hæcenus opposuerunt. Oremus ergo Deum, ut hominum mentes ipse emolliat, & ecclesiã à sordibus repurgatam seruet in eum usque diem, quo Iesus Christus illam ab omni corruptione liberatam in regnum suum cælesti transferet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Pœna eorum qui reformatione nolunt admittere.

HOMILIA XV.

Recordati sunt autem discipuli eius quòd scriptum esset: Zelus domus tue devoravit me. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, cur ista facias? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.

Deus filium suum unigenitum idè ex muliere hominem fieri voluit, ut veteris serpentis caput contereret, nosque ex eius tyrannide liberaret. Præcipuum ergo illius iam incarnati officium fuit, diaboli opera destruere, quibus ille hominum saluti insidiari consuevit. Inter hæc verò primas tenent falsi cultus, quibus sit, ut homines aut superstitionibus inebriati veram salutis rationem negligant, aut antistitum avaritia & ambitione atque corruptis moribus offensi, omnem religionis sensum paulatim exuant, & à Dei cultu omnino abalienentur. Rectè ergo ab externi cultus reformatione Christus sua functione exorsus est: & quia illum sacerdotes Iudeorum traditionibus partim superstitionis partim quæstuosus totum corrumperant, ab initio statim eum iuxta Legem divinam regulam restituere sa-

tagit, & sicut illum facturum esse prädixerat Malachias, templum ingressus, ex eo eijcit omnes, qui sub religionis prætextu quæstum priuatim exercebant. Est hoc proprium illius opus, quo postea etiam se regem & sacerdotem totius ecclesie declarauit, quando per orbem totum tam Iudaicas quam gentilitias superstitiones euertit, & quo adhuc hodie suam potentiam exercit, dum per euangelij prædicationem cultus falsos passim è medio tollit. Simul autem suo exemplo docet, nihil in religione & salutis negotio rectè constitui posse, nisi ea auferantur, quæ hominum mentes à vera religione auocare, & superstitiones in illis fouere solent. Quare non per omnia probandi sunt, qui imagines, altaria & illicitos cultus auferri nolunt, nisi ex animis prius illa omnia eijciantur: quia ea demum vera sit reformatio, quæ ipsos animos ab omni superstitione repurgatos Deo vendicat. Fatemur idem nos quoque, at quia animi externis hisce detinentur, quò minus Deum in spiritu & veritate colant, illa tolli necesse est: & quò citius istud fit, eò maiori cum fructu verbi doctrina prædicabitur. Idè per Hoseam olim Deus fornicanti ecclesie dicebat: Auferat scortationes suas à facie sua, & adulteria sua ab operibus suis. A facie, id est, externa fidei professione, & externo cultu primum auferri vult omnem idololatriæ speciem, & ita fore docet, vt ab operibus quoque adulteria remoueantur, id est, vt ipsius animus Deo consecretur, & fides illi seruet illibatam. Quapropter etiam non ea semper potestas ministris concedatur, vt nefarios cultus illico tollant, idem tamen suscipibus auctores esse debent, vt in illis tollendis absq; mora suam auctoritatem interponant. Egerunt hoc olim pij reges in veteri testamento, quos magna cum laude imitatus est Theodosius, qui eò potissimum religioni Christianæ consuluit, quò Deorum templa à suis antecessoribus clausa tantummodo, ipse demolitus est atq; funditus euertit. Porro sequitur in presenti, quid de hoc Christi factis discipuli eius, deinde reliqui etiam iudicauerint: quo loco discemus, quid omnibus seculis iudicatum sint homines, si quando ecclesie reformatio instituitur, & quàm nullius apud nos momenti esse debeat aduersariorum calumnie, quibus inuidiam & odium nobis conciliare student. Vt enim qui in publico adificat, multos & plurimum inter sese dissentientes habet sui adificij iudices: Ita qui ecclesiam vel adificare vel reformare satagunt, ob stare nõ possunt, quin omnes prout vel bene vel male affecti sunt, de ipsorum instituto pronuntient. Sufficiat autem illis, si studium suum Christo, qui ecclesie caput est, probari sciant.

Discipulorum
de Christi factis
et iudicium.

Primo discipulorum iudicium describitur. Videt illi rem nouam, plenam turbarum atq; periculis, & que non multum aberat à seditionis specie. Quia verò Christi ex priuata consuetudine propius norunt, & eundem amore non fucato prosequuntur, non temere de illo pronuntiant, sed rem omnem penes se expendunt diligentius. Et mox succurrit illis, quod in Psalmo 69 scribitur: Zelus domus tue deuorauit me. Itaque et si nondum intelligant, quo iure tantum fatinus aggressus sit, omni tamen hoc non temeritati, sed zelo pio & sancto tribuant. Disputant hic quidam, quomodo scriptura illis in mentem venire potuerint, quos illiteratos fuisse constat: & vt nodum hunc soluant, ab Ioanne nunc narrari dicunt, quod postea demum sit factum, quando spiritus sanctus illos linguarum et scripturarum cognitione illustrauit. At isti nodum in seipso quaerunt. Neque enim mox literatum & in scripturis exercitatum esse euincitur, si cui vnus aut alter scripturae locus in mense venit, quæ vel in sacra concione, vel ex priuatis piorum colloquijs discere potuit. Et scimus in Iudaorum synagogis Legem & prophetas ex veteri instituto diebus sabbati fuisse prælectos, imprimis verò apud eosdem frequentem fuisse Psalmorum usum: vt non adeo difficile fuerit eorum nunc recordari, quæ cum presentis facti tam probe conueniebant. Prætereà non dubitarem spiritum sanctum iam nunc illis aurem vellicauisse, ne in re maximi momenti scandalum paterentur. Discamus potius hoc exemplo, quàm proficit scripturas nobis habere familiares, quando in omni euentu ex ijs peti possunt, quæ nos vel consolatione aliqua subleuare, vel iudicium nostrum informare, aut etiam officij admonere poterunt. Et est hic proprius scripturae usus, vt quæ illic in genere traduntur, rebus presentibus & nostræ cum consolationi tum institutioni accomodemus: quem scopum ministri quoque, in huius tractatione obseruare debent.

Non temere iudicandum de
piorum factis.

Nos autè illorum exemplo docemur, non temere pronuntiandum esse de ijs, qui in religionis causa aliquid insolitum magno & inexpectato conatu faciunt. Et primò quidem ad verbi diuini regulam omnia examinari debent, ne dum homines temere reprehendimus, ipsum Deum accusemus qui talia fieri

feri præcepit. Deinde obseruandi sunt magni illi et insoliti spiritus sancti motus, qui in electis quandoq; conspiciuntur, dum manifesta pericula scientes subeunt, vt Dei honorè & gloriã vindicent. Tali in Gedeone fuit, quando aram Baalis diruit & lucum eius succidit. Tali etiam Elias excitatus Baalis sacerdotes iugulauit. In Ecclesiastica autè historia huius generis infinita exempla habentur, quorum alij idola euerterunt, alij aras diruerunt, alij Imperatorum edicta lacerarunt, multi quoq; non euocati in Imperatorum conspectu fidem suam professi sunt, sicuti de Iuliani militibus scribitur. Et nostro tempore aliqui reperti sunt, qui magnum illud idolum Papistarum, consecratum scilicet illi panem (vt illorum verbis vtar) quem illi Christu ipsissimum esse fingunt, in publicis festis aut circumgestationibus ex sacrificulorum manibus excusserunt & humi conculcarunt, vel imagines in publico prostantes palam confrøgerunt. Quæ omnia eius generis sunt, vt illa nemo ex affectu priuato facere debeat: atamen si quis spectata pietatis & modestie tale quid faciat, hoc non sine numine fieri cogitemus. Soler enim suorum mentes ad illa Deus excitare, vt vel suam potentiam aduersus idolatras ostendat, dum suos in manifestis periculis tuetur, vel ijs gloriosam martyrij occasionem præbeat, qua ad celestium sedes colligantur.

Quoad verò locum 1^o salmi, de seipso illum scripsit Dauid, cum à Saule & eius coniuuratis eius falsis insuper criminibus grauaretur. Queritur ergo de malis, quæ patiebatur, & à Deo opem postulat, multis rationibus adductis, quibus fidem suam suffulcit. Est inter illas etiam hæc, quod ipsum hostes propter religionis & purioris cultus studium odio persequantur: & proinde iustum & æquum esse ait, vt ipsi succurrat Deus, cuius causam hucusque sustinuerit. Et quia illo tempore occisis per Saulem sacerdotibus, Dei cultus maxima ex parte collapsus erat, inter alia dicit: Zelus domus tue denorauit me, id est, tam mihi cordi est cultus, qui ex tuo præscripto in tabernaculo peragi debebat, vt quoties de illo extinctio cogito, totus commouear, & assiduis cogitationibus atque curis cor proprium consciam. Et per expositionem subiicit: Opprobria eorum, qui tibi exprobrant, super me ceciderunt, id est, perinde illis afficior, ac si illis me a fama & meum caput pereretur. At quia Dauid Christi typum gessit, rectè ad Christum referunt discipuli, quod ille de semetipso dixerat. Quæ etiam causa est, vt hoc factò ad eum non offendantur, vt potius laude dignum agnoscat, & per hoc in fide confirmetur.

Locus Psal. 69.

Obseruabis autem Christo zelum pro domo patris sui tribui. Est is affectus ille amoris, quo coniuges se mutuo prosequuntur, & cuius tanta vis est, vt mori potius velint quam sui consortes ignominiam sufferre. Et in præfenti quidem domus Dei dicitur templum, eò quod in eo cultus sui sedem ille constituerat, & ibidem suorum preces exaudiebat. At vera & spiritalis Dei domus est Ecclesia, quam filij sui sanguine redimi & purgari voluit, vt in ipsa coli posset, & in eadem suæ gratiæ thesaurus deponeret. Hanc ergo ardentissimo zelo Christus diligit, & vt id faciat non patris modò gloria mouetur, sed propria quoq; cum illam sibi desponsarit. Quapropter cum templi ex lapidibus constructi & paulò post abolendi prophanationem tam seueriter vindicandam putarit, quid non futurum putabimus, si Ecclesiam suam violari & prophanari videat, cuius salus cum ipsius gloria coniuncta est? De hac certè olim dixit: Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit. Hinc ergo consolationem petamus aduersus impostores & tyrannos, nec putemus Christum vnquam passurum, vt vel Ecclesia eius tota pereat, vel in illa Dei cultus extinguatur. Præterea officij nos admonet Christi exemplum, vt ipsi quoq; zelo sancto accensi, ecclesie incommodis afficiamur, & de ijs emendandis aut etiam expurgandis serid cogitemus, quæ Dei gloriæ & illius saluti officere possunt. Et hinc quidem singulis suæ vocationis rationem habeant. Cum primis enim hæc cura ad ministros pertinet, quos ecclesie architectos scriptura dicit. Quibus vt Christus exemplum præbuit, ita Paulus quoq; quãdo agmen curarum de ecclesijs omnibus sibi incumbere scribit, & mox addit: Quis affligitur, & ego nõ affligor? Quis offenditur, & ego non vrer? Neq; abs se alienum putare debent omnes hoc qui in magistratu sunt, quu illos Deus suæ ecclesie nutritios atq; tutores constituerit. Curent ergo, ne vel falsis doctrinis Christi sponsa seducatur, vel cultus illicitos admittendo fidem Deo datã violet. Et si quid tale accidisse videant, mox omne studium conserant in hoc, vt labes ista expurgentur. Tangat eadem cura priuatos quoque homines, & publicè quidem, quantum vocationis suæ ratio pariter, religionem puram cõseruare studeant: priuati verò seipos feruent, nec prophanari patientur corpora

Christi zelus pro domo patris.

2. Corinth. 11.

sua, quae Dei templa ab Apostolo dicuntur. Qui enim in his segetes sunt, ijs se à pietate alienos esse factis produunt: & ut D. Augustinus ait, talentum suum improbe defodiunt, qui non huc conferunt dona sua omnia, quae à Deo acceperunt. Sed ô deploratam nostri seculi socordiam, quando omnis loci ordinis homines scandala quidem in domum Dei quotidie invehunt, pauci vero de ijs tollendis serid cogitant. Litigant inter se ministri de questionibus inutilibus et superuacaneis: multi etiam de questu reducendo cogitant. Principes religionis causam nihil ad se pertinere faciunt, nisi cum lucri spectata offeratur. Priuati homines suis rebus student. Ita ergo fit, ut alibi quidem religio tota intercidat, alibi vero hominum improborum libidini seruiat: pauci vero reperiantur, qui verè dicere possint: zelus domus tua deuorauit me. Quid ergo restat, quàm ut cruce accendantur, qui in Christi negotio usque adeò frigent?

Iudeorum de facto Christi iudicium.

Ceterum Iudeos audiamus, quid nimirum illi de hoc Christi facto iudicauerint, inter quos haud dubie sacerdotes praeter alios se interposuerunt, cum illorum res hic potissimum ageretur. Doluit illis factum hoc quàm maxime, attamen nec prohibere ausi sunt hoc facientem, neq. iniuriam ipsis illatam vlcisci. Est hoc euidentis diuina in Christo virtutis argumentum, quae sola illos omnes continuit, ut manus abstinerent, cum tam multas tamq. graues haberent causas, quae ipsos ad vindictam excitabant. Sed nec verbera illi reddunt, qui ab ipso flagellati fuerant: neq. in eum inuolant, quorum pecunias effuderat: neq. suum honorem armis vindicant sacerdotes, quorum auctoritas hic tota labefacta abatur. Debet horum consideratio ministris & principes confirmare, ne vllis periculis se abstererent, quò minus ecclesias reformat, & illicitos cultus è medio tollant. Potest enim etià hodie ipsos tueri Christus, & huius protectione olim tutos fuisse scimus, quorum negotium hoc bona fide egerit. Deinde ne verbis quidem reprehendere audent Christi factum sacerdotes, neq. turpem hanc sacrorum nundinationem excusare. Agnoscunt enim reformatione omnino opus esse, neq. illud dissimulant: mox hores nimirum nostri seculi Pontificibus atq. Episcopis, qui cum religione omnem maiori impudentia sibi quaesum fecerint, sua tamen omnia pertinacissime defendunt, & reformationem omnem subterfugiunt. Non tales, inquam, isti fuerunt, qui quod Christus fecerat, non simpliciter accusant, quasi per se iniquum aut impium aut sacrilegum sit, quae voces hodie mox audiuntur, quando de reformatione agitur. Quid ergo isti aiunt? Quod signum ostendis nobis, cur ista facias? Id est, quo signo probas te esse Deum filium, qui potestatem habeas hac faciendi in templo, quae Dei domus est? Agnoscunt ergo (ut diximus) istas religionis corruptelas iure tolli debere, id vero non alicuius priuata auctoritate fieri debere contendunt, nisi prius signis aut miraculis publicè confirmetur. Quod etsi non male dicant, quia tamen impii sunt, insidiosè agunt, & animi impietate non vno argumento produunt. Si enim publica auctoritate hac tolli debere agnoscunt, cur non illa vsi sunt hactenus, cum penes ipsos sacrorum potestas esset? Vel si signis confirmandam esse arbitrantur Christi auctoritatem, cur non obseruant diuinam in eo virtutem, qua omnium animos atq. manus à violentia cohibebat? Cur signis, quae paulo post plurima faciebat, non fidem adhibent? Adhuc non poterant ignorare, signum non semper esse vocationis aut missionis legitima testimonia, cum illis falsi quoq. prophetae interdum sint instructi. Sed quia sibi male consueuerant, nec tamen corrigi vellent, querunt quod possint calumniari, & cuius praetextu ad labefactandam Christi auctoritatem abutantur.

Mores falsorum antistitum.

Pulchre autem in hoc exemplo exprimitur hypocritarum atq. falsorum antistitum mores sine ingenium. Habent illi semper quod obijciant, neque illis vnquam satisfecerit. Nam etsi abusus horribiles in ecclesiam irrepsisse cogantur fateri, de quibus corrigendis siue tollendis cogitari oporteat, mox tamen sua effugia querunt, & ne reformatio fiat, modo temporum incommoditatem acculant: modo eos reijciunt, quos huius duces fore vident: modo alias difficultates praetexunt. Vidimus hoc multoties fieri nostro seculo. Fatentur multi reformatione in ecclesia necessariam esse, cum abusus et sacerdotum licentia eò vsq. excreuerint, ut nisi corrigatur, sua mole oia simul sint iurura. At cum in suis reformatione instituntur pij reges, principes et vrbium magistratus: mox clamant illi, hoc praetor officium fieri, neq. cuiusquam hominis esse, ut in ecclesia mutatione faciat aliquam, sed curam hanc ad Romanum Pontificem pertinere, qui generalis Concilij auctoritate errores corrigere debeat. Interim ipsi nihil agunt: vel si quid agere videntur, insidiosè agunt. Inducunt enim Concilia, & illa indicendo sua prauitacia ferunt, quibus palam dantur quicq. illis contradixerit. Praesides Conciliorum mittunt legatos

legatos à latere, qui si qua grauior controuersia incidat, eam omnem ad ipsos referri curent. Assessorum Conciliorum nulli admittuntur, quam qui in ipsorum uerba iurauerunt, & (ut spiritus in Apocal. loquitur) charactere bestiae notati sunt, neq. illos prius iuramenti religione (qua eos sibi iam pridem obstrinxerunt) liberant, ut quod uel iam notum, uel in Concilio intellecturi sunt, liberè & tutè effari possint. Deniq. cum iam annis aliquot Concilium & polliciti sint & in illo confederint, quem obsecro errorem & abusum in sua illa ecclesia correxerunt: quod dogma, quantumuis absurdum & impium mutauerunt? uel quibus legibus cleri sui factum, petulantiam, libidinem et quiduis designandi licentiam coercuerunt? Num ergo totus orbis in expectatione erit, dum illos sua tyrannidis & licentiae cadeat? Et num eos principes, reges, respub. suos homines falsis doctrinis circūduci et perniciosis superstitionibus dementari parentur, dum illi malè sani medici sibi ipsis cauteriū adhibeant? Sicuti profectò sint, qui hoc illos aliquando facturos putant. Crudeles autem et truculenti, qui interea suos ab illis opprimi & expilari patiuntur. Agnoscant ergo in illorū actionibus Christiani principes hanc Iudaeorum questionem, qua illi Christum impedire conati sunt, ipsi uerò sui officij memores populum suum in uerā fide inspicui curent, & uerum Dei cultum prouebant, ne quando perennium sanguis ab ipsorum manu requiratur.

Sed accedamus ad Christi responsonem, quae talis est: Soluite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Signum pollicetur, sed obscurus, quia indigni erant, quibus cum apertius ageretur, quamuis hoc quocq. satis intellexerint, ut in passionis & mortis eius historia apparet. Uicitur autem Imperatiuis pro futuris, quod frequens est apud Hebræos, & de sua morte simul atq. resurrectione uaticinans illos tunc intellecturos dicit, quod ista facienda potestatem habeat. Et resurrectionis ferè meminit, quorū illi signum postulant, quia haec diuinitatis argumentum est euidentissimum, cum solus Deus uicæ & mortis imperiū habeat (quapropter Paulus Christum Dei filium declaratū esse dicit per resurrectionē ex mortuis) & eadem ad terrendum impios Christi hostes plurimum ualeat, quos postea huius praedicatione potissimum commotos fuisse, Acta testantur. In presenti autem haec etiam ratio accedit, quod elegas sit inter templū & corpora nostra comparatio, quae Dei templa dicuntur. Sensus ergo uerborum Christi est: Cum is sim, qui uicū Dei templum per uos destructum, resuscitare & inuolare possum: multo magis templum hoc lapideum uestra auaritia & ambitione probanatum mihi reformare & suae dignitati restituere licet. Corpus uerò suum templū uocat, non earatione, qua nostra Dei templa dicuntur, eò quod illa Deus uirtute spiritus sui inhabitat: sed quia in ea habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter (ut Pauli uerbis utar) adeo ut qui ex Maria natus est, homo simul & Deus sit: quo nomine illam ueteres θεοτόκος, id est Deiparam dixerunt. Adhuc in ipso est propitiatorium uerum, quod nos cum precibus nostris Deo acceptos facit. De illo enim dixit pater: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Ceterum suo exemplo docet Christus, quid ijs respondeamus, qui nobis hodie propter reformationem ecclesiarū nostrarum litem intendunt. Querunt illi cur Missae sacrificium aboleuerimus? Responde: Quia cum eius uoluntate & institutione pugnat, qui pro nobis mortuus & propria uirtute resuscitatus est, & eo facto se mortis & uitae dominum esse, ideòq. omnem se in ecclesia potestate habere docuit. Querunt, cur laicis distribuamus poculum Cena mysticum? Responde: Quia sic Christus iussit, dicendo, Diuidite hoc inter uos, & Bibite ex hoc omnes. Querunt, Cur imagines templis eiecerimus? Responde: Quia Dei filius per Ioannem clamat, Filioli, caute uobis à simulacris. Querunt, cur Diuos & Diuas pro aduocatis & mediatoribus non agnoscamus? Responde: Quia Christi uox est, Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Item: Ego sum uia & ueritas & uita: nemo uenit ad patrem, nisi per me. Querunt, cur indulgentias Romanas pecunia redimere grauemur? Responde: Quia Christus dixit, Ne feceritis domum patris mei domū negotiationis. Sic (inquam) exemplo Christi utamur hodie, & abunde instructi erimus aduersus omnes quaestiones, quas nobis fidei hostes mouent. Quod si cui auctoritas Christi sordet, sordet & ille nobis, neq. ampliori responso dignum putemus eum, qui Christo obloqui audeat. Nos uerò in unum illum incerti, ipsum audiamus, ipsum sequamur, qui nos in tenebris errare non patietur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

Christus facti
sui rationem
reddidit.

Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatū est templū istud, & tu in tribus diebus eriges illud? At ille loquebatur de templo corporis sui. Cū ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quòd hoc dixisset eis, & crediderunt scripturæ & sermōni quem dixerat Iesus. Cū autem esset Ierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomē eius, spe stantes eius signa quæ edebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nouisset omnes: neq; opus haberet, ut quisquā testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

Quia hominum salus absq; religione & vero Dei cultu non potest consistere, non temere factum est, quòd Dei filius, cum nostræ salutis ergo in mundū venisset, functionis suæ initium ab eo fecit, quòd templum atq; cultum externum ab omni prophanatione repurgauit, quam sacerdotum auaritia inuenerat. Simul autem eo facto docuit, eos frustra sibi salutē polliceri, qui illicitos cultus defendunt aut mordicis reuolunt. At quia reformationes eiusmodi inuidiam parunt suis autoribus, & calumnijs multorum subiacent, diligenter obseruari debet responsio Christi, qua Iudæis quæ reuoluntis sui facti rationem reddidit. Hoc nimirum sibi licere docens, quia Vitæ & necis imperiū habet, & proinde Deus sit verus: & huius argumentum irrefragabile pollicetur, suam à mortuis resurrectionem. Quòd si Christus hanc rationē sufficere putauit, nobis quoq; in abrogandis superstitionibus & constituenda religione ipsius autoritas sufficere debet, neq; nos calumnias aduersariorum magni facere conuenit, quando de eius voluntate nobis constat, qui pro peccatis nostris mori voluit, & propria virtute semetipsum ex morte resuscitare potuit. Hic enim dilectus ille Dei filius est, quē ex patris iussu omnes audire debent, qui Deo placere & in illo salutem cōsequi volunt. Porro sequitur, ut hæc quoq; responsio ab auditoribus accepta sit, ubi rursus hostiū veritatis improbitas elucebit, & vicissim patebit discipulorū exemplo, quid nos facere deceat, si quid obscurius dictū viderur.

Iudæi responsum Christi calumniantur.

Primum de aduersarijs Christi agitur, qui eius verba secundum literam interpretantes, aduersus illum ab impossibili vel absurdo arguerantur. Cū enim ille de templo corporis sui locutus esset, illi quasi de templo lapideo dixisset, inierunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud, & tu in tribus diebus eriges illud? In quibus verbis sese mirifice torquent nōnulli interpretū, ut inquirant, quomodo hic annorū numerus cum templi extructi historia cōueniat. Sed ineptē meo iudicio ex illorum verbis de templi post reditum ex Babylone à patribus extructi tempore seu annis disputatur. Primò enim ex Iosepho constat, tunc temporis non amplius stetit templum illud reus, quòd ex Babylone reuersi patres magnis impensis & labore grauissimo ædificauerunt: sed nouum illud, quòd Herodes ante annos triginta octo, immani sumptu & magnificentia regali, neq; sine summa omnium admiratione intra octo annorum spatium absoluerat. Deinde quoad vetus templū, neq; illud etiam totis annis continuè quadraginta sex fuit extructum: sed cum eius fundamenta anno à reditu ex Babylone secūdo magna cum alacritate & gaudio iecissent, mox vicinorū insidijs & comminationibus impediti, ab opere incepto cessauerunt vsq; ad annum Darij Hystaspis secundū, quando Haggei & Zacharie sermonibus confirmati ad opus redierunt, quòd sexto Darij anno absolutum fuisse historia sacra testatur. Ezra 6. cap. Atqui à reditu ex Babylone vsq; ad sextum Darij annum non plures annis viginti tribus reperimus, sicuti in Haggei expositione demonstrauimus. Licet tamen mihi etiam quoad sentio proferre. Scimus maiora illa ædificia nō ita primo conatu absoluti, quin quotannis quedam ad ornatum potius & commoditatem, quàm ad necessitatem pertinentia, adiciantur: & hoc nostris temporibus in templorum cathedralium extructione ita vulgare est, ut certi etiam redditis in eum vsus consignentur. Quòd si templo Herodiano obseruatum fuisse dicamus, pulchrè conueniet annorū numerus. Cū enim ista fieret à Christo, iam anni 38. elapsi erāt, ex quo templum absolutum dicebatur, quia nihil ad necessarios vsus deerat: cum tamen quotidie aliud quid ornamenti adderetur, & aliquid ad archetypum deesset. Adde autem annis 38. reliquos octo, quibus

Vide Chrysostomum
in eod. loco
3 cap 8 fol
109

quibus Herodes in primo operis conatu fuit, & anni 46. colligentur. Ergo hyperbolicè loquuntur
 ut Christum confidentia accusent. Quasi dicerent, tam anni 46. evoluti sunt, ex quo templum hoc
 extrui cœpit, & vix nunc demum absolutum est. Neg. dubium est quòd si multi simul iam omnem
 suam operam in vnum conferrent, vix (qua nunc est rerum facies) annis quadraginta sex tantum
 edificium absoluerent; quæ ergo hæc eua est confidentia, quòd intra triduum te illud confecturum
 esse gloriaris? Habent itaq; verba ista Sarcasum probabili argumento nitentem, quo Christi re-
 sponsionem eludere, & ipsum seu Thrasonem & ardelionem quendam vulgo contemptum reddere
 volunt. Unde constat, illos non alia mente signum petiisse, quam ut calumniandi & ipsum traden-
 di occasionem haberent.

Admonemur nos istorum exemplo, nullas rationes illis sufficere posse, qui cupiditate suarum
 feruore superati, suam sententiã eueri insinuerunt, ne vel que sicut vel existimationis sue iacturam
 faciant. Semper enim inueniunt isti quod vel suis commentis prætexant, vel in antagonistarum suo-
 rum argumentis calumniantur. Et ex illorum quidem numero istos fuisse, Christus infra docebit,
 quando illos gloriam humanam vanari ait, diuinam autem negligens. Frustra ergo cum illis egit
 Christus, & ex ipsi deterioris factos fuisse scimus, quibus ad mentem meliorem adduci debuissent. Nec
 enim contenti scurriliter eluisse quæ ab illo dicebantur, postea ex illis ipsum accusandi occasionem
 sumpturunt, subordinatis falsis testibus, qui ipsum templo excidium minitacum fuisse dicerent. Sic alibi
 scripturas proferenti non credunt. Et cum signa requirerent subinde, eadem tamen in dubium voca-
 bant, & eorum auctorem Beelzebub potius quam diuinam Christi virtutem agnoscere malebant.
 Imò cum horrenda in eius morte signa vidissent, adhuc tamen de illo intra sepulchrum retinendo co-
 gitant; & cum illum resurrexisse ex suis hominibus audiuissent, resurrectione quoq; mendacis prece
 & pretio redemptis obscurare conantur. Extant huius generis exempla in multis alijs, & Iudas sui
 seculi illudores hoc nomine accusat, quòd ex sacris concionibus occasionem arripere, qua Dei ver-
 bum scurriliter ridebant. Similis fuit Iuliani impietas, qui ex Christi præceptis rationes petebat,
 quibus suam in Christianos tyrannidè & vim iniustam defenderet, &c. Et vti iam hodie non multis
 horum similes reperitur, qui quò magis vrgentur Dei verbo, eò maiori proteruita illud contem-
 nunt, aut etiam hostiliter persequuntur. At meminerint omnes isti, in Iudeis exemplum quoq; pro-
 positum esse, quam grauius Deus tales puniat; Qui enim pro templo suo aduersus Christum tanta ani-
 morum cõtenione pugnarunt, paulò post cum templo horribiliter excisi, & in rotum orbem dispersi
 sunt. Idem ergo expectent, quæ illorum mores imitantur. Nam etsi Deus paterna indulgentia facile
 ea nobis condonet, quæ ex carnis infirmitate delinquimus, idem tamen illorum proteruitiam ferre non
 potest, qui cum verbo eius impudenter ludunt.

Docet præterea exemplum istud, quam noxium & perniciosum sit nudam in scripturis literam
 semper vrgere, neq; sanioerem verbi Dei interpretationem admittere. Hoc sanè istis imposuit, & ex eo
 habent suæ pertinaciæ & indurationis principium, quæ illis tandem fuit exitio. Eadem quoq; causa
 fuit, quòd Iudei sacra Leuitica mordicus retinere, nec Christi doctrinam recipere voluerunt, quæ il-
 lorum abrogationem requirebat. In hoc enim vnum intenti, quòd illa Deus olim instituisset, vsu &
 finem eorundè minus obseruabant. Hinc quoq; heretici veteres suorum errorum argumenta sumptu-
 runt, sicuti in Ario est videre, qui illud Christi dictum, Pater maior me est, iuxta literam acci-
 piens, omnia alia eludebat, quibus æterna illius diuinitas asseritur. Nostro tempore ad eundè lapi-
 dem impingunt Anabaptistæ quando paruulorum baptismum oppugnant, eò quòd Christus docere
 & baptizare iusserit. Hinc itaq; verborum ordinem vrgentes, neminem baptizandũ esse clamant,
 qui doctrinæ nondum capax esse possit. Et in Sacramentaria contentione, quæ ecclesias nimis diu ex-
 ercuit, quid aliud habent aduersarij, quam Christi verba; Hoc est corpus meum, Hic est sanguis
 meus &c. quæ illi xarv̄ τὸ πρῶτον exponenda, imò simpliciter intelligenda esse vociferantur, neq; ali-
 quem de illis iuxta fidei analogiam ex scripturarũ collatione differentem audiunt. At qui meliori
 cum ratione Iudæi isti verba Christi iuxta literam accipere & contra illum vrgere poterat. De tem-
 plo enim lapideo inter illos disceptabatur, neq; vlla de corpore Christi questio à quoquam proposta
 fuit. At tamen calumniatores fuisse constat, qui verbis eius abutendo sibipsis exitium accersue-
 runt. Cogitemus ergo Deum frequenter propter nos figuratis locutionibus vti, & in scripturis dili-

Impijs non satis
 sit illis ratio-
 nibus.

Literã vrgere
 noxium est.

genti studio & locorū collatione opus esse, ne quid statuamus, quod cum salutis ratione & fidei articulis minus conveniat. Quod si Iudei in Legis & sacrorū suorum defensione obseruassent, nunquam sua pertinacia fuissent seducti; neq; hæreses inuexissent in ecclesiā male feriatū homines, si istam regulam secuti fuissent; & hodie minus contentionum esset in ecclesia, si hanc regulam omnes sibi sequendam proponerent. At nostri illi aduersarij, ne quam expositionem in Cena uerbis admittere cogantur, nouas scripturarū interpretandarū regulas fingunt, & omnia alia per tropos exponunt quā uolentissimè, quæcumq; de Christi in terris conuersatione, de eiusdem ascensione in caelos, deq; ipsius cælis & æternæ beatitudinis loco in scripturis dicuntur.

Christus calumniatoribus nihil respondet.

At simul obseruabis, Christum suis illis aduersarijs nihil respondiisse, nō quod ipsi deessent comode rationes, quibus ipsorum improbitatem argueret; sed quod digni essent, qui suis erroribus permitterentur, & incurabiles facti digno excidio perirent. Et breui futurum sciebat, ut illorū calumnia manifestarentur. Solet ita cum impijs agere Deus, & illos iusto iudicio indies magis indurat, cum emolliri nolint. Factū hoc olim in Pharaone, Achabo & similibus; & hodie in multis hoc ipsum fieri cernimus. Quorum exempla nos terrere debent, ne dū nostra pertinaciæ indulgemus, ipsi nobis exitij simus auctores. Quod si uerò in tales incidimus, Christi exemplum nobis imitandū proponamus: quando frustra cum illis uerba permutantur, qui animos suos aduersus ueritatem iam admodum obfirmarunt. Hic enim cum primis locum habet illud Solomonis: Ne respondeas stulto secundum stultitiam eius, ne huius similis efficiaris. Prouerb. 26.

Discipuli uerba Christi etsi non intelligant, non tamen explorant.

Ceterum ad discipulos Christi transiamus, qui nec ipsi tunc tēporis intellexerunt quæ ab illo dicebantur. Quomodo enim ita loquentem intelligerent, qui de resurrectione sua discretis uerbis dicentem non intellexeret? Ignorantia autem huius causa fuit, quod Messia officij ignorabant, & in illo regnum somniabant terrenum, qualia in hoc mundo esse solent. Non poterat ergo illis non nouū & absurdum uideri, quicquid de eius morte & resurrectione dicebatur. At qui hoc illud est, quo hodie multi impediuntur, quod minus salutis mysteria percipiant: quod nimirum carnis cogitationibus inuenti, omnia ad sue rationis calculum renocant, & quæ cum illa non conueniunt, pro absurdis aspernantur. Interim laudem non uulgarem meretur discipulorum modestia, qui cum Christi uerba non intelligant, ijs tamen non obstrepunt, neq; ex sacerdotū calumnijs & ipsius silentio, quod ignorantie speciem præ se ferebat, arripiunt illi obloquendi occasionem: quod hodie auuidissimè faciunt, qui ueritatis suauit ad tempus simulant, cum animo erga illam minus sint amico atq; propitio: sed quod ille dixit, memori mente recolunt atq; examināt. Fit ergo, ut illo resuscitato ex mortuis, scripturas cū eius uerbis conferendo probè intelligant omnia, quæ nunc ipsis obscura nimis uidebantur. Imitemur ergo nos quoq; horum exemplum, ne uel cōtempitū abiiciamus, uel etiā hostiliter insectemur, quod nostri ingenij captū superat. Etsi enim nō semper inuit statim omnia reuelat Deus, non tamen ideo nobis desperandum est, sed omnia suo tempore ab illo rectè & salutariter agi cogitemus. Solent artium magistri pueros, cum captui sese accommodare, & à rudimentis primis docendi initium facere, à quibus postea ad maiora indies progrediuntur. Et nos à Deo postulabimus, ut primo die nobis omnia sui regni mysteria recludat. Habet sua incrementa fides, quam pro nostri capis modulo Deus fouet atq; auget; neq; is suo deerit officio, modò nos illi dociles & morigeros præbeamus.

Fidei fouenda ratio.

At plurimum proderit fecisse, quod de Christi discipulis hic annotatur. Recordati sunt (ait) quod hoc dixisset eis, & crediderunt scripturæ & sermoni, quem dixerat Iesus. Primum ergo exercitium fidei est, memori mente seruare quæ à Domino nobis dicuntur, ne aues illæ, de quibus in euangelio Christus loquitur, semen uerbi auferant. Instituitur deinde scripturarū collatio, & quæ de Christo ab euangelistis atq; apostolis traduntur, cum Veteris Testamenti promissionibus atq; oraculis conferamus, & mox ex consensu summo ueritas nobis patebit. Neq; hoc à reuerentiæ officio, quæ Christo debemus, alienum est. Etsi enim illi simpliciter credere debeamus, dat tamen hoc ille infirmitati nostræ, ut scripturæ fulcris fidem nostram sustentemus. Quin ipse rationē hanc confirmanda fidei suo exemplo commendat, cum scripturas allegat quoties de sua morte & resurrectione loquitur: & cum resuscitatus discipulis appareret, scripturas illis in mentē renocat, ut scandalo medeatur, quod ex eius morte fuerat enatum. Et Paulus Christum pro peccatis nostris mortuū dicebat secundum scripturas & tertio die secundum scripturas resurrexisse. Est uerò hoc in alijs articulis omnibus obseruandum.

uandum, ut nimirum videamus quid scriptura doceant de nouissimi seculi moribus, de Antichristo & sectis sub illius regno exorituris, de controuersis item fidei nostrae capitibus: & mox discemus quid nobis factio opus sit, neq. ijs offendemur, quae à plerisq. perperam & impie fiunt. At quia hoc studium plerisq. displicet, & praesentibus modo intenti de futuris raro cogitamus, non mirum est, à fide multos deficere, vel illius professionem moribus corruptissimis prophanare.

Porro concludit locum hunc euangelista, & ne quis Iudeorum execrationem atq. pertinaciam Christo acceptam ferret, qui malignius cum ipsis egerit, paucis quid porro ille fecerit, docet. Cum esset (inquit) Ierosolymis in Pascha, in die festo multi crediderunt in nomen eius, spectantes eius signa quae edebat. Mansit ergo in urbe toto festi illius tempore, quamuis ingratos & iniquissimos in se illos esse videret. Neq. otiosus aut obscurus latuit, sed docuit publice, & doctrinam suam factis miraculis confirmauit, quod & praesens locus & paulo post Nicodemi verba testantur. Ergo licet signum nullum fecerit postulantiibus hoc impijs sacerdotibus, multa tamen fecit in populo, quibus se omnibus publice manifestauit. Factum est itaq., ut multi crederent in nomen eius, id est ipsum agnoscerent pro Messia & promisso populi redemptore. Quod ergo alteri illi in sua caecitate manserunt, illorum vitio & culpa, non Christi malignitate factum est. Additur autem ab euangelista: Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eod quod ipse nouisset omnes, neq. opus haberet, ut quisquam testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine. Videntur haec absurda in speciem. Illi credebant in nomen Christi, & hic non credebat seipsum illis, ut nimirum pro discipulis agnosceret, & familiaris ipsis conuersaretur. Ergo ne ad se venientes exclusit? Minime. Ipsius enim vox est: Eum qui venit ad me, non eiecit foras. Sed inuicitur his verbis, non synceram fuisse illorum fidem. Nam licet eum pro Messia agnoscerent, officium tamen eius ignorabant, & cum in illo non nisi terrena & carnalia quaerent, non potuit haec illorum fiducia, quam temere conceperant, stabilis esse, quando se ipse frustra viderant. Tales ergo cum sciret Christus, se illis comittere noluit. Estq. hoc nouum diuinitatis eius argumentum, de quo iam ante diximus.

Obseruabis autem hoc loco, Christum nunquam sine fructu praedicari, at tamen diuersissimos ferè esse praedicationis istius effectus, eod quod non idem sit omnium ingenium, qui ad illam accedunt. Docet hoc alibi scriptura per pluuiam & sementis parabolas. Sunt enim qui naturali quadam contumacia indurati, nullis rationibus moueri aut flecti possunt. Sunt qui sub Christi praetextu quae carnis sunt quaerunt, & hi tam cruce quam euangelij disciplina offensi postea deficiunt. Sunt, qui spiritus curarum huius seculi semen exceptum suffocant. Non desunt tamen interea, qui ex illo fructum salutarem reportant, qualem inter hos Nicodemum fuisse proximo Capite audiemus. Neminem ergo ista auditorum euangelij diuersitas, vel etiam credentium paucitas offendat. Curemus autem, ne ipsi nobis imponamus fucata fidei professione. Nam ut alibi docemur, non omnes pro suis agnoscent Christum, qui dicunt Domine domine, sed qui faciunt voluntatem patris sui, qui in caelis est. Matthaei 7.

Praeterea Christi exemplo docemur, pijs prudentia opus esse, ne se temere quibusuis committant. Nam etsi charitatis sit, minime suspicacem esse, & bene sperare de omnibus, curandū tamē ne nimia credulitate Dei gloriam in periculum adducamus, aut Deum tentemus, dum absque eius vocatione manifesta discrimina subimus. Ita ipse monet, dicens: Simples estote ut columbae, prudentes ut serpentes. Neq. hoc dicto contentus grauitate praecipit discipulis, ne temere sibi hospitia & amicos delignant, sed diligenter inquirant, qui ad hoc digni sint siue idonei. Simul verò ad nostram consolationem atque institutionem transferamus, quod de Christo cordium scrutatore hic dicitur. Nec enim minus hodie omniscius est, quam olim, cum in gloria patris omnem potestatem in caelo & in terra acceperit. Nouit ergo suos vbicunq. sint. Nouit illorum innocentiam, quae calumnijs maledicorū arroditur, & eorundem fugas atq. lachrymas in numero habet. Huius ergo bonitate freti ad illum prouocemus, si quando suum forum nobis negant homines. Rursum in illius conspectu studeamus innocentiae, ne dum eius oculos fallere conamur, eius iram prouocemus, qui olim ad iudiciū venit, ut omnibus pro ut fidem vitamq. suam instituerunt, retribuatur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

Christus manet in urbe & facit signa.

Christus nunquam praedicatur frustra.

Prudentia pijs opus est.